

DE SPECIALI S. PONTIFICIS FACULTATE DELEGANDI POTESTATEM ORDINIS

Praenotamen

Ex studio auctorum antiquorum concludere potuimus¹ Summo Pontifici, ipsique soli, ratione plenitudinis potestatis quae ipsi soli in Ecclesia competit, adiudicandas esse facultates speciales potestatem ordinis propria auctoritate delegandi. Nunc vero, ne doctrina de delegabilitate huius potestatis nimis vaga remaneat, ulterius determinandum est quousque sese extendat haec specialis S. Pontificis facultas. In praesenti ergo articulo inquisitio nostra eo tendit ut conclusiones studii nostri praecedentis magis in concreto determinemus, statuendo nempe quaenam ordinis potestas, et infra quosnam limites, a Summo Pontifice delegari possit.

Agitur de quaestione, vel potius de complexu quaestionum non facilis solutionis et quarum solutio ad theologos potius quam ad canonistas pertinet. Intentio nostra non est munus theologorum usurpare, sed eorum doctrinam hinc inde expositam, certa a dubiis secernendo, in unum colligere, ut hodiernum doctrinae statum hac de re prae oculis haberi possit.

Ordo tractationis erit sequens: Exposita imprimis sententia quorundam auctorum antiquorum, qui potestatem Papae plus aequo extendebant, gressum deinde faciemus ad facultates S. Pontificis circa potestatem, singulis hierarchiae gradibus adnexam determinandas, agendo ex ordine de potestate episcopali, presbyterali, diaconali et denique de potestate adnexa subdiaconatui et ordinibus minoribus.

I

DE « DELEGATIONE PAPAE ET ADMINICULO HABITI SACRAMENTI »

Circa amplitudinem potestatis pontificiae *Glossa Ordinaria* in Decretum celebre continet principium, olim a pluribus canonistis propugnatum, juxta quod:

« Ex demandatione Papae quilibet conferre potest quod habet; unde ordinatus ordinem quem habet et confirmatus confirmationem ».²

¹ *De delegabilitate potestatis ordinis: Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) 249-289.

² *Glossa ordinaria in Decretum Gratiani*, D. V, c. 4 « de consecratione ».

Aliis verbis, Summus Pontifex tanta gaudet potestate ut ad conferenda sacramenta quemlibet fidelem delegare possit, dummodo sacramentum, quod conferre debet, ipse fidelis iam receperit. Potestas ministri hoc modo delegati proveniret, juxta auctores, « *ex demandatione Papae et adminiculo habiti sacramenti* ». ³

Origo huius doctrinae, quae praesertim a schola bononiensi propugnabatur, generatim Silvestro ⁴ attribuitur; eius autem receptio in *Glossam* auctoritatem quamdam ei tribuit, qua secus forsitan non esset gavisa. Ita explicatur quare fere ab omnibus canonistis antiquis doctrina haec referatur, quamvis non ab omnibus approbetur. Eiusdem vicissitudines nunc per summa capita sequi conabimur.

En quomodo praedictum principium applicat Huguccio († 1210):

« Item Papa posset similiter concedere simplicibus presbyteris ut conferrent omnes ordines? Credo quod sic, praeter episcopalem; nam ordinem quem non habet nullus potest conferre, sed quod habet potest. Cum ergo presbyter non habet ordinem episcopalem, qualiter possit eam conferre? Similiter credo quod possit diacono concedere quod conferat diaconatum et minores ordines, et sic de aliis. Quid de consecratione ecclesiarum vel Virginum? Dico quod ex permissione papae simplex sacerdos potest consecrare eas. Sed numquid posset Papa concedere diacono vel alii inferiori clerico vel laico? Credo quod sic, si talis consecratio fieri potest sine missa, alias non ». ⁵

Pro Huguccione ergo facultates Papae hac in re sunt amplissimae et principium 'de delegatione papae et adminiculo habiti sacramenti' sine ulla restrictione admittit.

Idem principium in tota sua amplitudine etiam a Tancredo († 1234) proponitur. « Credo, scribit ipse, quod ex demandatione Papae et adminiculo habiti sacramenti, potest conferre quilibet quod ipse percepit ». ⁶

Innocentius IV videtur principium a Silvestro propugnatum intelligere de solis clericis, non vero de laicis:

³ Vide infra.

⁴ De hoc canonista fere nihil, praeter nomen, scimus. Cfr. J. F. VON SCHULTE, *Die Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Rechts*, I, Stuttgart 1875, p. 151.

⁵ *Codex Vaticanus* 2280, fol. 85.

⁶ Apud FR. GILLMANN, *Zur Lehre der Scholastik von Spender der Firmung und des Weihesakraments*, Paderborn 1920, p. 42, not. 2.

⁷ INNOCENTIUS IV in c. 4, X, I, 4: *Apparatus super quinque libros Decretalium* ..., I, Lugduni 1535, f. 14v-15r.

« Silvester dixit quod ex delegatione Domini Papae et adminiculo habiti sacramenti quilibet clericus potest quidquid habet ipse conferre ». ⁷

Valor praedicti principii impugnatur ab Alexandro Halensi († 1245) qui, enumeratis pluribus de potestate Papae sententiis, ita concludit:

« Harum opinionum videtur medium esse tenendum, scilicet, quod Dominus Papa in casu demandare potest sacerdoti quod confirmet. Sed *non videtur* quod possit demandare unicuique quod conferat quod habet ». ⁸

Vincentius Hispanus (1248) suam doctrinam de plenitudine potestatis pontificiae ita explicat:

« Satis concederem quod in huiusmodi ad hoc quod procederet, exigeretur ut ille qui confert id habeat quod mandatur conferre, et ille qui mandat habeat potestatem. Unde ad mandatum Papae ego diaconus possum conferre diaconatum, sed non presbyteratum quia non habeo, non tamen de mandato episcopi, quia non habet plenitudinem potestatis ». ⁹

Immo tanta est haec potestatis plenitudo iuxta Vincentium ut probabilem reputet sententiam affirmantem Papam posse simplici sacerdoti concedere ut Episcopum consecret. En eius verba:

« Numquid similiter papa posset simplici sacerdoti conferre ut consecraret episcopum nomine Papae, sicut Gregorius concessit Confirmationem? Et forte de plenitudine potestatis hoc facere posset ».

Adiungit tamen papam hoc numquam concessisse: « Fecisse autem hoc neminem credo ». ¹⁰

Principium de demandatione papae et adminiculo habiti sacramenti refertur etiam a Bernardo Compostellano, qui duplicem eiusdem interpretationem ab auctoribus propugnatam ita enucleat:

« De papa etiam dicit Laurentius quod non potest hoc (administrationem confirmationis) laico demandare; Sylvester vero dicit quod ex delegatione Papae et adminiculo habiti sacramenti quilibet tam clericus quam laicus potest conferre quidquid habet, quod non habet minime ». ¹¹

Secundum Bernardum Parmensem de Botone († 1263) soli clerici, non vero laici, possunt delegari ad conferenda sacramenta quae ipsi receperunt.

⁸ ALEXANDER DE HALS, *Summa Theologiae*, par. IV, mem. V, a. 1.

⁹ Apud GILLMANN [not. 6], p. 35, not. 1.

¹⁰ VINCENTIUS HISPANUS in c. 4, X, I, 4.

¹¹ *ibid.* [not. 10].

«Dico quod Papa hoc delegare potest simplici sacerdoti et non laico sicut credo, et sic ex tali delegatione et adminiculo habiti sacramenti potest conferre quidquid habet. Immo quilibet clericus hoc facere potest; quae vero non habet non potest conferre». ¹²

Henricus Boich († 1310) videtur principium admittere saltem quoad clericos.

«Si quaeris de collatione ordinis episcopalis, et tunc dicunt Hugo in capite allegato «pervenit» et Thomas ...quod non potest collationem ipsius committere inferiori Episcopo... Aut quaeris de collatione inferioris ordinis et tunc secundum Hugo in capite allato 'pervenit' potest committere alicui quod conferat ordinem quem habet, ut sacerdoti quod possit conferre sacerdotium, diacono quod possit conferre diaconatum et sic de aliis». ¹³

Principium Silvestri restringendum esse ad clericos opinatur etiam Antonius de Butrio († 1408), qui aliquorum auctorum sententias hac de re exponens, ita scribit:

«Contrarium Glossa determinat, ut possit (Papa) delegare episcopalia simplici sacerdoti, imo plus clerico, ut illa quae habet in se alteri conferre possit. Quasi velit sentire id quod dicit Glossa in caput «pervenit», ut si sit presbyter presbyteratum; si diaconus diaconatum et inferiores ordines et omnia sacramenta quae habet. Idem et in alio clerico; sed quod possit conferre quod non habet non... Adverte quod Glossa dicit de clerico; haec fuit opinio Sylvestri, et plus etiam dixit de laico ut ille possit. Glossa hoc fatetur de presbytero, per quod videtur negare vel saltem non secure dicere in inferioribus. Innocentius et alii stant cum Glossa. Et sic teneamus quod clericus hoc possit quia ille tamquam capax spiritualium hoc poterit, sed laicus non ut possit spiritualia quae non sunt sibi concessa ex lege divina saltem quoad sacramentalia». ¹⁴

Cardinalis Franciscus de Zabarellis († 1417) quaestionem ponit circa ministerium Confirmationis, quaerens nempe cuinam possit Papa hoc ministerium committere. Exposita deinde sententia illorum qui sustinebant hoc posse a Papa etiam laico committi, ita concludit: «tutius videtur quod non possit laico committere». ¹⁵

Joannes ab Imola († 1436) fatetur se non videre

¹² Apud GILLMANN [not. 6], p. 92, not. 1.

¹³ HENRICUS BOICH in c. 4, I, 4: *In quinque Decretalium libros Commentaria*, I, Venetiis 1576.

¹⁴ ANTONIUS DE BUTRIO, *Lectura super quinque libris Decretalium*, c. 4, X, I, 4: I, Venetiis 1575.

¹⁵ FR. DE ZABARELLIS, *Super Ium Librum Decretalium*, c. 4, X, I, 4: Lugduni 1551.

« quare (Papa) non possit laico hanc potestatem (confirmandi) concedere, ex quo potest simplici clerico illam concedere et quod tamen non reperitur in iure expressum ».

Hoc tamen non obstante, etiam ipse concludit:

« tutius tamen est quod Papa absteineat a conferendo talem potestatem laico ex quo non reperitur illam fuisse concessam ». ¹⁶

Panormitanus († 1445) tres refert opiniones, eligens tamen illam quam communioem vocat quaeque negat Papam posse sacramenta Episcopis reservata etiam laicis demandare. Quaestioni: « Numquid sacramenta reservata solis pontificibus possint delegari inferioribus et per quem », ita respondet:

« Respectu Papae reperiuntur tres opiniones. Prima quod Papa cationem horum sacramentorum potest delegare presbytero dumtaxat. Secunda opinio etiam simplici clerico, dummodo habeat illud sacramentum quod alii conferre vult, et in hac opinione videtur residere Glossa. Tertia opinio quod etiam laico potest hoc Papa demandare, dummodo laicus receperit illud sacramentum. Et hanc opinionem refert hic Gulielmus et Innocentius, aperte tamen non approbando. Glossa in capite 'Manus' de consecratione, dist. V, videtur illam approbare in eo quod ponit regulam dicens; quod ex delegatione Papae quilibet potest conferre sacramentum quod ipse receperit. *Communior* tamen opinio videtur ut laico hoc demandare non possit, et videtur opinio iustior, maxime quia ex hoc denigraretur status Ecclesiae quod Papa facere non potest ». ¹⁷

Haec *communior* sententia paulatim *communis* evasit inter canonistas, sub influxu abs dubio theologorum qui una cum D. Thoma principium « de delegatione papae et adminiculo habiti sacramenti » fere communiter reiiciebant. Sic principium hoc communiter reprobatur a canonistis saec. XVI et XVII, prout testatur Mostaza, qui hanc quaestionem, ad ministrum confirmationis extraordinarium quod attinet, studio accurato subiecit. ¹⁸ Ita in

¹⁶ IOANNES DE IMOLA, *In Ium Decretalium librum*, c. 4, X, I, 4: I, Venetiis 1575.

¹⁷ NICOLAUS DE TUDESCHIS, *Super quinque libros Decretalium*, c. 4, X, I, 4: *Nicolai Tudeschi ... vulgo Abbatis Panormitani Omnia, quae extant Comentariorum...*, I, Venetiis 1588, p. 240^a-245^a.

¹⁸ « En cuanto al sujeto que puede ser delegado para administrar la confirmación, es unánime el sentir de los escritores de este periodo; solamente el presbítero, con exclusión de otro inferior, es el ministro extraordinario del dicho sacramento »: A. MOSTAZA-RODRÍGUEZ, *El problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación*, Salamanca 1952, p. 255. Cfr. etiam C. BAISI, *Il ministro Straordinario degli Ordini Sacramentali*, Roma 1935, p. 36 sqq.;

prima medietate saec. XVI illud omnino rejiciendum esse opinatur Joannes de Turrecremata († 1548);¹⁹ et Barbosa circa medietatem saec. XVII de opinionibus in Glossa propositis ita scribere potuit:

« Glossa tres refert opiniones in illa quaestione an Papa ea quae sunt ordinis (episcopalis) possit laico committere: *primam* quod conferre potest presbytero tantum; *secundam* quod etiam simplici clerico, dummodo illud habeat sacramentum quod alteri conferre vult; *tertiam* quod etiam laico conferre possit. *Commune tamen est interpretum enunciatum* non simplici laico sed sacerdoti tantum ea quae sunt ordinis (episcopalis) posse a Papa conferre ».²⁰

Reiecto principio « de delegatione papae et adminiculo habiti sacramenti », non eo ipso concordia habetur inter auctores circa alias quaestiones delegabilitatem potestatis ordinis respicientes. Imo, rejecta solutione per recursum ad tale principium generale, difficultates potius multiplicantur, eo quod quaestionum solutio non amplius ab aliquo generali principio repetenda sit, sed a positiva Christi voluntate ex magisterio Ecclesiae necnon ex auctorum doctrina colligenda. Cum vero non eadem responsio dari possit quoad potestatem singulis ordinibus adnexam, nunc singillatim de variis hierarchiae gradibus agemus, doctrinam auctorum de delegabilitate potestatis unicuique ordini sive hierarchiae gradui adnexae, ut ita pro posse determinemus amplitudinem illius potestatis vi cuius Summus Pontifex « potest quaedam quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam inferioribus ». ²¹ Quinam actus superiorum ordinum potest Papa inferioribus committere et quinam inferiorum capaces sunt huiusmodi delegationem pontificiam recipiendi? En quaestiones quibus respondere conabimur. Non desunt studia hac de re recentiori tempore edita, praesertim circa potestatem confirmandi et ordines conferendi. ²² Labor ergo noster hic continebitur in iis tantum ex Magisterio ecclesiastico et ex recentioribus scriptoribus depromendis, quae sufficientia videantur ad quaestiones canonicas iuxta hodiernum doctrinae statum rite solvendas.

CH. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 53 (1953) 99.

¹⁹ IOANNES A TURRECREMATA, *In Gratiani Decretum*, D. XCV, c. 1: Lugduni 1555.

²⁰ A. BARBOSA, *In Primum Decretalium Librum*, c. 4, X, I, 4: *In ius canonicum universum tomi sex*, I, Lugduni 1688.

²¹ S. THOMAS, *Summa Theologica*, III, 72, 11 ad 1.

²² A. MOSTAZA-RODRÍGUEZ, *El problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación*, Salamanca 1952; C. BAISI, *Il Ministro Straordinario degli Ordini Sacramentali*, Roma 1935.

II

**DE DELEGABILITATE POTESTATIS
SINGULIS ORDINIBUS ADNEXAE**

Quo clarius eluceat quatenam sint facultates Summi Pontificis hac in re, singulos nunc percurramus hierarchiae gradus, de singulis exponentes quatenam potestas illis adnexa possit a Papa clericis inferioris gradus delegari. Ordine descendenti procedemus, incipiendo nempe a potestate episcopali.

A - DE DELEGABILITATE POTESTATIS EPISCOPALIS

Per potestatem episcopalem hic intelligitur non tota ordinis potestas quae episcopo competit sed illa dumtaxat quae, utpote episcopos a presbyteris distinguens, propria ordinis episcopalis dici debet. Determinato ergo imprimis quatenam potestas sit propria ordinis episcopalis sensu nunc explicato, gressum deinde faciemus ad considerandas facultates Papae hanc potestatem clericis inferioris gradus delegandi.

De actibus propriis ordinis episcopalis

Actus ordinis episcopalis proprios illos esse diximus quibus episcopatus a presbyteratu distinguitur. Quaestionem satis arduam hic tangimus, de distinctione nempe inter episcopatum et presbyteratum, de qua multum decursu temporis disputatum est. Nos hanc quaestionem in tota sua extensione non examinamus, sed considerationem restringimus ad quaestionem de differentia inter episcopos et presbyteros ratione potestatis ordinis. Exposita imprimis doctrina Concilii Tridentini definita, hodiernum quaestionis statum tunc breviter enucleabimus.

Decisiones Concilii Tridentini

Concilii Tridentini decisiones ab omnibus habentur uti fundamentum elaborationis theologicae quae subsequenti tempore a doctoribus circa sacramentum ordinis facta est. Quaestio de distinctione inter episcopatum et presbyteratum ex professo a sacra synodo tractata est praesertim in Sessione XXIII, in qua sequentes formulae approbatae sunt:²³

cap. IV: «...Proinde sacrosancta Synodus declarat, praeter caeteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in Apostolorum locum succes-

²³ ST. EHSBS, *Concilium Tridentinum*, IX: Actorum Pars VI, Friburgi Brisgoviae 1924, p. 620-621.

serunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei; eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare atque pleraque agere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent ».

Can. 6: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit ».

Can. 7: « Si quis dixerit episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent esse cum presbyteris communem... anathema sit ».

Praecedentibus adiungendus est can. 3, in Sessione VII approbatus:

« Si qui dixerit sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit ».

Quid ergo docet Concilium Tridentinum circa differentiam inter episcopatum et presbyteratum? Perspectis tum formulis adhibitis tum discussionibus in ipso Concilio habitis, sequentia retinenda sunt:

1) Concilium clare definit episcopos esse presbyteris superiores.

2) Haec superioritas saltem in eo consistit quod quamdam habent episcopi potestatem confirmandi et ordinandi, quae ipsis non est cum presbyteris communis. In capite IV, Sessionis XXIII, haec specialis potestas episcopis propria ita describitur: « sacramenta confirmationis conferre, ministros ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent ».

3) Specialis confirmandi potestas importat episcopum ipsumque solum esse huius sacramenti *ministerium ordinarium*.

4) Concilium non definivit, uti quidam asserunt,²⁴ episcopos esse presbyteris superiores *ratione potestatis iurisdictionis*, neque

²⁴ Ita e. gr. C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not.22] p. 69: « L'unica cosa definita dal Concilio è dunque che nello stato odierno della Chiesa i Vescovi sono superiori ai preti per potestà di giurisdizione e hanno una speciale potestà di ordine ». Fere idem habet A. MOSTAZA, *El Problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación* [not. 22] p. 235: « El Concilio — lo repetiremos una vez más — lo único que define es que los Obispos son superiores a los presbíteros por su potestad de jurisdicción, y que tienen un poder especial de administrar los sacramentos del orden y de la confirmación, no común con los simples sacerdotes ». Nostro iudicio, huiusmodi assertiones neque discussionibus in Concilio habitis neque formulis a Concilio adhibitis fulciuntur. In Concilio definitur tantummodo superioritas; sed non definitur illam superioritatem esse ratione iurisdictionis vel ordinis.

quidquam definivit circa naturam illius potestatis confirmandi et ordinandi quae episcopis propria est seu ipsis cum presbyteris non est communis. Definivit tantummodo factum superioritatis episcoporum saltem quantum ad illam specialem potestatem confirmandi et ordinandi.

5) Non obstante sententia contraria plurium auctorum post-tridentinorum,²⁵ retinendum est Concilium in can. 6 supra relato non definire superioritatem episcoporum supra presbyteros esse *iuris divini*. Ex studiis enim historicis circa acta tridentina recentiori tempore peractis hodie luculenter constat Patres ex professo evitasse usum terminorum « iure divino » et « institutionis divinae » et scienter et volenter abstinuisse a definiendo superioritatem episcoporum esse *iuris divini*. Omnes qui acta Concilii examini critico subiecerunt ad eandem pervenerunt conclusionem: Verba can. 6 « divina ordinatione institutam » referenda sunt ad hierarchiam complexive sumptam nec necessario significant distinctionem inter episcopos et presbyteros et ministros esse institutionis immediate divinae.²⁶ De hoc scribit Lennerz:

« Estne differentia inter episcopum et presbyterum, superioritas episcopi super presbyterum ratione ordinis, iuris divini, an non, institutionis immediate ecclesiasticae, mediate divinae, quatenus Ecclesia hanc distinctionem introduxit facultate a Christo accepta? Hanc quaestionem concilium tridentinum ex industria relinquit apertam et indecisam... Post multas discussiones verba 'divina ordinatione' electa sunt, et ex proposito dictum non est 'institutione divina'; immo ne formula quidem 'ordinatione speciali divina' approbata est ».²⁷

In can. 7 verba « iure divino » ex industria ommissa sunt, non obstante insistencia episcoporum hispanicorum, qui definiendum proponebant episcopos esse iure divino presbyteris superiores.²⁸ Concilium enim maluit circa hoc prudens servare silentium.

Status doctrinae hodiernus

Ratio ob quam Concilium Tridentinum definire noluit episcopatum esse *iure divino* presbyteratu superiorem inveniri potest in discussionibus quae definitionem conciliarem praecesserunt.

²⁵ Cfr., e. gr., R. BELLARMINUS, *De clericis*, cap. 14, in ed. *Roberti Cardinalis Bellarmini Opera Omnia*, II, Neapoli 1857, 167^b-169^b; P. GASPARRI, *Tractatus de sacra Ordinatione*, I, Parisiis 1893, n. 31.

²⁶ Cfr. *Dictionnaire de Théologie Catholique*, XI/2 (1932) 1361, in articulo « *Ordre* ».

²⁷ H. LENNERZ, *De sacramento ordinis*² [not. 130], p. 84, n. 150.

²⁸ « ... Jusqu'au bout, deux tendances se manifesteront parmi les Pères. Les uns veulent insérer dans le canon 7 que l'institution des évêques est de droit divin: « Si quel'un dit que les évêques ne sont ni institués de

Ita enuntiatur ab Episcopo Rossanensi, postea Papa sub nomine Urbani VII: « Et si Lutherus vel Calvinus... dixerint episcopos non esse immediate institutos iure divino (quod adhuc non legi); non propterea debemus cum duobus haereticis multos theologos et omnes iuris canonici professores... condemnare ». ²⁹ Antiquitas enim a pluribus sustinebatur sententia iuxta quam superioritas episcoporum super presbyteros originem ducit a solo ecclesiastico.

Hanc sententiam a S. Hieronymo in Commentario super Epistola ad Titum propositam Gratianus in suo Decreto refert:

« Olim idem presbyter qui et episcopus et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: 'Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephae', communi presbyterorum consilio ecclesiae gubernabantur. Postquam autem unusquisque eos quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur et schismatum semina tollerentur... Sicut ergo presbyteri sciunt, se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subiectos, ita episcopi noverint, se magis consuetudine quam dispensationis dominicae veritate presbyteris esse superiores, et in communi debere ecclesiam regere ». ³⁰

Inde ortum habuit illa sententia « antiquis Scholasticis eorumque Principibus communissima », ³¹ quae sustinebat:

« Episcopatum characterem non imprimere, non esse ordinem seu sacramentum a sacerdotio distinctum; Episcopatum nihil addere eiusmodi; sed tantum per consecrationem aliquid sacramentale. Quidquid Ordinis proprie dicti... quidquid sacramenti et characteris habet, illud a sacerdotio quo quis ante Episcopatum imbutus esse debet, haurire. Sed Episcopatum per se nihil aliud dicere quam officium, dignitatem, potestatem, auctoritatem sacerdoti datam multo ampliorem et augustiorem per consecrationem episcopalem ea quam per sacerdotii characterem nactus fuerit ». ³²

droit divin, ni supérieurs aux prêtres...»; ou même qu'elle est due au Christ: « Si quelqu'un dit que les évêques ne sont pas institués par le Christ dans l'Eglise, ou qu'ils ne sont pas au-dessus des prêtres par la sainte ordination... ». Les autres refusent. Ces sont ceux-ci qui prévaudront»: CH. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste*, 53 (1953) 84. Cfr. A. MICHEL, art. « Ordre » in D. T. C. IX/2 (1932) 1362; A. MOSTAZA, *El Problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación* [not. 22] p. 213-235; C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22] p. 57-69.

²⁹ ST. EUSES, *Concilium Tridentinum*, IX [not. 23] p. 54.

³⁰ *Decretum Gratiani*, c. 5, D. XCV; in AEM. FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, I, Lipsiae 1879, p. 332-333.

³¹ J. MORINUS, *Commentarius historicus et dogmaticus de Sacris Ecclesiae Ordinationibus*, P. III, Exer. III, cap. I, § V, Parisiis 1686.

³² MORINUS, op. cit. [not. 31], ibid.

Inde tamen a Concilio Tridentino haec sententia pauciores in dies habuit fautores, praesertim vero post Robertum Bellarminum, qui sacramentalitatem Episcopatus strenue defendit.³³ Sententia Bellarmini *certissima* reputatur ab Hallier.³⁴ Petrus Soto eam *de fide* esse autumat. Hodie, quamvis thesis haec de fide dici nequeat, communiter admittitur et ab auctoribus uti certa et communis habetur. De propositione: « Ratio sacramenti convenit Ordinationi episcopi » Lercher dicit quod est nunc *sententia communis et certa*,³⁵ Pesch asserit hanc doctrinam esse *theologice certam*,³⁶ Hervé scribit: « Character certe imprimitur per episcopatum... »;³⁷ iuxta Solá « Thesis prout intelligitur de episcopatu per oppositionem ad presbyteratum est *certa et communis* »³⁸ et « Inter modernos vix non omnes thesim nostram tenent ».³⁹ Ita etiam alii plures, quos referre superfluum iudicamus.

Alia quaestio est utrum episcopatus in quantum ordo *adaequate* distinguatur a presbyteratu an *inadaequate* tantum, prout scilicet supponit characterem presbyteralem quem complet vel extendit. De hac quaestione suo tempore scribebat Benedictus XIV:

« Nemo prohibeat disceptare num Episcopatus sit ordo a presbyteratu distinctus, an character in episcopali consecratione impressus differat, vel potius sit ampliatio quaedam characteris in collatione presbyteralis ordinis impressi, — itidemque an vetustioribus temporibus a diaconatu factus sit transitus ad episcopatum, ordine presbyterali non antea suscepto ».⁴⁰

Neque adhuc hodie quaestio haec extra controversiam posita est, quamvis maior auctorum pars nunc in sententiam affirmantem distinctionem *adaequatam* inclinet.⁴¹

Sed quidquid sit de hac controversia, « Omnes theologi in his tribus essentialibus convenire debent: 1° per episcopalem ordina-

³³ ROBERTUS BELLARMINUS, *De sacramento ordinis*, cap. V, in ed. *Opera Omnia*, [not. 25] III, Neapoli 1857, p. 767-768.

³⁴ FR. HALLIER, *De sacris electionibus et ordinationibus ex antiquo et novo Ecclesiae iure*, Par. II, Sect. II, cap. 1, a. 2, Parisiis 1636.

³⁵ L. LERCHER, *Institutiones Theologiae Dogmaticae*, IV/2, 2^a, Oeniponte 1949, p. 285, n. 693.

³⁶ CH. PESCH, *Praelectiones dogmaticae*, VII⁴⁻⁵, Friburgi Brisgoviae 1920, p. 307.

³⁷ J. M. HERVÉ, *Manuale Theologiae Dogmaticae*, IV⁹, Parisiis 1933, n. 509.

³⁸ F. SOLÁ, *Sacrae Theologiae Summa*, IV² (*Biblioteca de Autores Cristianos*, 73, Matriti 1953, p. 632, n. 32.

³⁹ Op. cit. [not. 38] p. 631, n. 31, 3.

⁴⁰ Epistola « *In postremo* » diei 20 oct. 1756, § 17: *Benedicti XIV... Bullarium*, III/2, Prati 1847, p. 394^b.

⁴¹ « La libertà di controversia già rivendicata da Benedetto XIV ha portato dopo due secoli di elaborazione dottrinale ad affermare, non senza contrasti anche recenti, la qualifica sacramentaria dell'episcopato, come ordine distinto dal presbiterato »: L. MAFFEO, *Questioni aperte e chiuse sulla dottrina dell'Ordine*, in *Perfice Munus* 33 (1958) 682.

tionem conferri gratiam sanctificantem... 2° in hac ordinatione characterem imprimi... 3° vi ordinationis episcopus esse iure divino presbyteris superiores ». ⁴²

Superioritas haec quae iure divino episcopis competit ita a Benedicto XIV describitur:

« Potestatem ordinis habent episcopi immediate a Christo Domino, qui cum Hierarchiam in sua Ecclesia esse voluerit, ita in Ea Episcopos instituit ut virtute solius characteris episcopalis plura praestare possent, quae simplices sacerdotes aut omnino nequeunt, aut virtute dumtaxat Ordinationis suae facere non valent ». ⁴³

Differentia ergo iure divino inter Episcopos et presbyteros proprie in potestate ordinis reponenda est, nam, uti scribit Tanqueray:

« Ideo dicuntur episcopi presbyteris superiores, quia habent potestatem confirmandi et ordinandi, atqui hoc pertinet ad potestatem ordinis, quae ab institutione Christi pendet ». ⁴⁴

Unde concludit Coronata:

« Sententia eorum qui docent Episcopatum prout distinguitur a presbyteratu non esse ordinem neque sacramentum, si intendat asserere consecrationem episcopalem nullam iure divino addere presbyteratui potestatem, omnino reiicienda est, utpote presbyterianismo favens ». ⁴⁵

Episcopos enim, iuxta eundem auctorem, « esse superiores presbyteris in potestate ordinis iure divino est theologice certum ». ⁴⁶

« Ex episcopali consecratione, scribit Bouix, recipit Episcopus potestatem qua carent simplices presbyteri. Ergo revera Episcopus potestate ordinis superior est presbyteris... dicta potestas ordinis qua episcopi superiores sunt presbyteris, non humanae sed divinae institutioni ad censenda est ». ⁴⁷

Reiicienda ergo est singularis sententia a Baisi propugnata, iuxta quam « Sacramentum Episcopatus distinguitur a presbyte-

⁴² ED. HUGON, *Tractatus dogmatici*, III⁵, Parisiis 1927, p. 721. Cfr. tamen J. BELER, *Nature et position du Sacerdoce*, in *Nouvelle Revue Théologique* 76 (1956) 356-373.

⁴³ BENEDICTUS XIV, *De synodo dioeclesana*, lib. I, cap. IV, I, in *Benedicti XIV ... Operum editio novissima*, XI, Prati 1844, p. 10^b.
⁴⁴ AD. TANQUERAY, *Synopsis Theologiae Dogmaticae*, III¹⁹, Tornaci 1922, p. 562, n. 809.

⁴⁵ MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *Institutiones iuris canonici: De sacramentis*, II², Augustae Taurinorum 1948, p. 13-14, n. 15.

⁴⁶ *Ibid.* [not. 45] n. 16, p. 14.

⁴⁷ D. BOUIX, *Institutiones Iuris Canonici: Tractatus de Episcopo*, I, Parisiis 1859, p. 41.

ratu, quia in ordinatione episcopali confertur ordinaria potestas iurisdictionis requisitae ad ministrationem quorundam sacramentorum». ⁴⁸ Differentia enim inter unum et alium ordinem in iurisdictione consistere nequit, neque umquam apud theologos iurisdictionem inter effectus sacramentorum recensitam invenimus.

Haec sententia a Baisi proposita intime connectitur cum alia sententia a paucis propugnata, iuxta quam potestas iurisdictionis requiritur in ministro ad sacramenta confirmationis et ordinis valide conferenda. Ratio est, iuxta illos, quia potestas confirmandi et ordinandi presbyteris delegari potest, quod nequaquam fieri posset si ageretur de potestate ordinis. Hoc ultimum tamen, attentis expositis in praecedenti nostro studio, ⁴⁹ absolute sustineri nequit; nam Summus Pontifex de plenitudine potestatis, quae ipsi soli in Ecclesia competit, ordinis potestatem aliquando delegare potest.

De potestate confirmandi quantum ad hoc scite animadvertit P. Alvarez:

« Est namque haec confirmandi potestas ordinis plane... seu ipso iure divino ex recepto ordine sacerdotii apici adnexa. Nec propterea, iuxta logicae regulas, concludendum eandem non posse aliis demandari, quin ipsa hoc modo perfruentes, ad illum sacerdotalem apicem evehantur, quin episcopalis character iisdem simul penitus communicentur. Transitus enim hoc argumento fit a parte ad totum, a modo demandato ad proprium, uno verbo extraordinarii ministri cum ordinario absurda confusio. Quae iam satis superque essent ad horum theologorum assertionem respuendam ». ⁵⁰

Et re quidem vera theologi qui necessitatem iurisdictionis in Episcopo requirunt ut valide confirmet vel ordinet ad omnino paucos reducuntur. Imo Mostaza in suo studio de ministro extraordinario confirmationis sequentem statuere potuit conclusionem: « Quoad episcopos nullum cognoscimus theologum inde a saeculo XIII, nullum vero canonistam inde a tempore Nicolai de Tudeschis († 1435), qui asserat eorum facultatum confirmandi vel ordinandi dependere quoad validitatem a potestate iurisdictionis ». ⁵¹

⁴⁸ C. BAISI, *Institutiones Theologiae Scholasticae*, IV, Milano 1949, p. 625.

⁴⁹ *De delegabilitate potestatis ordinis: Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) 249-289.

⁵⁰ S. ALVAREZ-MENÉNDEZ, *De extraordinario Confirmationis ministro*, in *Angelicum* 24 (1947) 174.

⁵¹ « En cuanto a los obispos, no sabemos que ningún teologo, desde el siglo XIII a nuestros días haya hecho depender « quoad validitatem », su potestad de confirmar y de ordenar de la jurisdicción, come tampoco ningún canonista, a partir de Nicolás de Tudeschis († 1435)»: A. MOSTAZA, *El problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación*, [not. 22] p. 308. « Doctrina quae in ministro Confirmationis et Ordinis aliquam iurisdictionem tamquam necessariam postulat, singularis omnino ac nova est»: F. BRINKTRINE, *De ministro Confirmationis extraordinario*, in *Divus Thomas* (Plac.) 35 (1932) 513.

Episcopi ergo sunt iure divino presbyteris superiores non quia iurisdictionem in consecratione episcopali recipiunt, sed quatenus vi huius consecrationis aliquam habent potestatem ordinis, confirmandi scilicet et ordinandi, *quae ipsis non est cum presbyteris communis*.

De sensu huius ultimae clausulae non concordant auctores. Plures enim sunt qui quamdam ordinis potestatem in ordine ad confirmationem, et collationem ordinum presbyteris vi propriae ordinationis competere asserunt. Sed quidquid sit de hac quaestione, hoc saltem retinendum est, potestatem confirmandi et ordinandi ita episcopo vi consecrationis competere ut nequidem Summus Pontifex eam auferre possit, dum e contra potestas presbyteri, si quam circa confirmationem et ordines habet, ita ab auctoritate ecclesiastica pendet ut, saltem hodie, vi solius ordinationis sacerdotalis presbyteri confirmationem et ordines valide conferre non possint. Unde confirmare dicitur a Benedicto XIV: « *actus ordinis episcopalis cuius firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet* ». ⁵²

Potestas ordinis episcopalis iuris ecclesiastici

Hactenus de differentia ratione potestatis ordinis ex iure divino. Sed ex iure quoque ecclesiastico quaedam superioritas episcopis supra presbyteros competit. Gasparri varios actus ordinis qui episcopo iure ecclesiastico competunt ita enumerat:

« Praeterea ex institutione ecclesiastica datur potestas conferendi ordines non hierarchicos qui sacramenti rationem non habent et potestas conficiendi plura sacramentalia, e. gr. consecrandi et benedicendi abbates, abbatissas, reges, reginas, velandi virgines etc... ». ⁵³

Quoad consecrationes Codex Iuris canonici ita statuit:

« Consecrationes nemo qui character episcopali caret, valide peragere potest, nisi iure vel apostolico indulto id ei permittatur ». ⁵⁴

Quaedam etiam benedictiones ab Apostolica Sede episcopis reservantur. Notandum tamen est omnes benedictiones, etiam reservatas, a quolibet presbytero *valide* peragi posse, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit. ⁵⁵

Attentis ergo hucusque expositis, potestas ordinis episcopalis ita schematicè proponi potest:

⁵² BENEDICTUS XIV, *De synodo dioecessana*, lib. VII, cap. 8 n. VII: ed. [not. 43] p. 211a.

⁵³ P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de sacra Ordinatione*, II, Parisiis, 1894, p. 301.

⁵⁴ *Codex Iuris canonici*, can. 1147, § 1.

⁵⁵ *Codex Iuris Canonici*, can. 1147, § 3.

Potestas ordinis episcopalis	} ex iure divino	}	potestas confirmandi
			potestas conferendi Sacramentum ordinis
	} ex iure ecclesiastico	}	potestas consecrandi
			potestas benedictiones reservatas peragendi

Nunc remanet ut facultates Papae circa delegationem variorum actuum potestatis ordinis episcopalis examinemus. Quod ut clarius exponamus, agemus ex ordine 1^o) de potestate consecrandi et benedicendi, 2^o) de potestate confirmandi, 3^o) de potestate ordines conferendi.

1^o De potestate consecrandi et benedicendi

Natura huius potestatis

Non est cur in quaestione de natura huius potestatis immeremur. Omnes enim auctores concordant eam ad potestatem ordinis pertinere, ad illam nempe ordinis potestatem quae ex iure ecclesiastico episcopatus adnectitur.

Quod agatur de potestate ordinis in dubium vocari nequit. Iam vidimus in praecedenti nostro studio⁵⁶ quomodo consecrare inter actus potestatis ordinis ab auctoribus constanter recenseatur. Immo ipse Gregorius IX reconciliationem ecclesiae ad potestatem ordinis pertinere expresse asserit. Statuit enim reconciliationem ecclesiae non posse ab Episcopo simplici presbytero committi « quia licet episcopus committere valeat quae iurisdictionis existunt, quae ordinis tamen episcopalis sunt non potest inferioris gradus clericis demandare ». ⁵⁷ Supponit ergo potestatem de qua agit esse potestatem ordinis; alioquin ratio allata non valeret. Et quod valet de ecclesiae reconciliatione valet quoque de ecclesiae consecratione, uti videri potest apud auctores in investigatione nostra praecedenti examinatos. ⁵⁸

Quod haec consecrandi potestas sit iuris mere ecclesiastici ex eo patet quod consecrationes et benedictiones ad Sacramentalia pertinent, quae iuxta can. 1144:

⁵⁶ *De delegabilitate potestatis ordinis: Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) 249-289.

⁵⁷ c. 9, X, III, 40: ed. [not. 30] II 635.

⁵⁸ art. cit. [not. 56]. Cfr. etiam F. M. CAPPELLO, *De consecratione ecclesiae*, in *Periodica de re morali et liturgica* 19 (1930) 133*-140*.

« sunt res aut actiones quibus *Ecclesia*, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales ».

Cum ergo agatur de rebus institutionis ecclesiasticae, ad Ecclesiam quoque pertinet Sacramentalium materiam et formam statuere eorumque ministros designare. Potestas ergo qua episcopus consecrationem peragere potest quamvis in ipsa episcopali consecratione tradatur, non ex divino sed ex solo ecclesiastico iure ordini episcopali adnectitur.

Delegabilitas huius potestatis

Quod episcopi hanc potestatem delegare seu clericis inferioribus demandare nequeant, ab omnibus admittitur. Quoad quaestionem utrum Summus Pontifex eandem delegare possit et intra quosnam limites, sequentia notanda sunt:

Cum sacramentalia, et proinde consecrationes sint institutionis mere ecclesiasticae, ad Ecclesiam pertinet eorum ministrum designare.

Haec Ecclesiae potestas circa sacramentalia Sedi Apostolicae expresse reservatur, uti statuit can. 1145: « Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica ».

Nihil ergo impedit quominus Papa potestatem consecrationes peragendi etiam presbyteris, immo et aliis clericis inferioribus committat. Unde scribere potuit Cappello:

« Tota res haec iuris mere ecclesiastici est... idcirco a voluntate Romani Pontificis pendet ministrum designare, cui potestas sit, ecclesias aliasque res consecrandi. Id certum atque indubitatum esse, ecclesiastica huiusmodi ritus institutione perspecta, neminem latet. Igitur Romanus Pontifex non solum presbytero, sed etiam diacono vel subdiacono aliive clerico facultatem consecrandi... committere valet ».⁵⁹

Hoc implicite statuitur etiam in can. 1147, § 1: « Consecrationes nemo qui character episcopali careat valide peragere potest, *nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur* ».

De facto potestas consecrationes peragandi solet presbyteris dumtaxat ab Apostolica Sede committi, non vero aliis clericis inferioribus. Plures facultates quae in hac materia ante Codicem per indulta particularia missionariis praesertim concedebantur, nunc ipso iure communi Vicariis et Praefectis Apostolicis, Abbatibus et Praelatis nullius, etsi character episcopali carentibus, committuntur.

⁵⁹ art. cit. [not. 58] p. 139*.

Concludendum ergo est quod Summus Pontifex potest et solet potestatem consecrationes peragendi simplicibus sacerdotibus delegare. Neque admittenda esse videtur sententia a Cappello proposita iuxta quam:

« quoad simplicem presbyterum qui ex peculiari delegatione seu commissione S. Sedis facultatem recipit consecrandi ecclesias, consecratio dici potest *actus mixtus*, utpote qui, praeter ordinis potestatem, postulat quoque specialem delegationem Romani Pontificis aut iure communi aut peculiari indulto concessam ». ⁶⁰

Haec enim sententia duo confundere videtur, actum scilicet quo Summus Pontifex delegat et actum quo sacerdos delegatus consecrationem peragit. Verum est actum delegandi ex parte Papae potius ad iurisdictionem pertinere, ⁶¹ sed nulla adest ratio asserendi actum consecrandi ex parte sacerdotis esse *actum mixtum* seu partim ordinis partim vero iurisdictionis. Ordinis enim et iurisdictionis potestates essentialiter distinguuntur non ratione modi quo conferuntur, sed ratione obiecti formalis alterutri proprii. Si ergo potestas qua episcopus consecrat ad potestatem ordinis pertinet, non est cur idem actus a sacerdote delegato positus requiratur insuper potestatem iurisdictionis. Tenendum ergo est per delegationem pontificiam conferri non iurisdictionem, sed potestatem ordinis.

2º De potestate confirmandi

Quaestio utrum Summus Pontifex possit facultatem confirmandi simplici presbytero demandare hodie pro definitive soluta in sensu affirmativo habenda est. At, uti scribit Benedictus XIV, « gravis olim exarsit inter doctores controversia ». Imo iuxta eundem Benedictum XIV; « negabant quamplurimi non infimae notae theologi » ⁶². Inde tamen a saeculo XVIII auctores unanimiter sententiam affirmativam amplectuntur, ⁶³ quae sententia Ecclesiae praxi acceptatur et confirmatur. Iam enim ante Codicem, saeculis praesertim XVIII et XIX, plura indulta, tramite praesertim S. Congregationis de Propaganda fide, presbyteris in locis missionum concessa sunt. In Codice vero haec confirmandi facultas aliquibus presbyteris iure communi tribuitur, et uti principium statuitur:

⁶⁰ art. cit. [not. 58] p. 136*.

⁶¹ Cfr. A. MOSTAZA, *El problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación* [not. 22] p. 301.

⁶² BENEDICTUS XIV, *De synodo dioecesana*, lib. VII, cap. 7 n. IV: ed. [not. 43] p. 206^b.

⁶³ Cfr. A. MOSTAZA, *El problema* [not. 61] p. 3.

« Extraordinarius Confirmationis minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit ». ⁶⁴

Post promulgatum Codicem praxis Ecclesiae hac in re plurimum evoluta est. Hodie enim, post decreta « Spiritus Sancti munerata » et « Post latum » a respectivis Congregationibus de Sacramentis et de Propaganda Fide edita, ⁶⁵ plures sunt casus in quibus ex iure communi potestas confirmandi presbyteris competit. Accedit quoque concessio Cappellanis maritimis anno 1958 facta a Congregatione Concistoriali. ⁶⁶

Quaestio ergo a nobis hic tractanda non est utrum Summus Pontifex possit huiusmodi concessionem facere, sed utrum tales concessionem sub nomine delegationis potestatis ordinis comprehendantur. Aliis verbis, quaerimus de indole actus quo Summus Pontifex potestatem confirmandi simplicibus presbyteris committit et de indole potestatis quae per delegationem pontificiam conceditur. Agiturne revera in casu de delegatione potestatis ordinis?

Praemissis aliquibus observationibus de subiecto capaci recipiendi praedictam delegationem, quaestionem de indole ipsius delegationis deinde examinabimus.

De subiecto capaci recipiendi delegationem

Ad quaestionem cuinam potest Papa facultatem confirmandi demandare omnes hodie respondent solos presbyteros posse esse subiecta passiva huiusmodi delegationis.

« Presbyteri soli delegationis capaces sunt — scribit Hervé — nam iuxta omnes, ordo sacerdotalis ad valide confirmationem ministrandam requiritur, et neminem unquam ad hoc ministerium delegavit S. Sedes nisi sacerdotes, qui ideo vi ordinationis suae sunt (ut ita dicam) in potentia remota ut, adiuncta commissione seu delegatione Summi Pontificis, hoc sacramentum possint conferre ». ⁶⁷

Quaedam ratio convenientiae datur a S. Thoma:

« Quia gratia sacramentalis descendit in corpus mysticum a capite, ideo omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, dependet ab operatione super corpus Domini verum... et ideo dicendum est quod promovere ad illas perfectiones quae non respiciunt corpus Domini verum sed solum corpus mysticum potest a Papa, qui habet plenitudinem pontificalis potestatis, committi sacerdoti qui ha-

⁶⁴ *Codex Iuris Canonici*, can. 782, § 2.

⁶⁵ Cfr. *Acta Apostolicae Sedis* 38 (1946) 349-354 et 40 (1948) 41.

⁶⁶ *Acta Apostolicae Sedis* 50 (1958) 375-383.

⁶⁷ J. M. HERVÉ, *Manuale Theologiae Dogmaticae*, III, Parisiis 1929, n. 631, a.

bet actum super corpus Domini verum; non autem diacono, vel alii inferiori, qui non habent perficere corpus Domini verum». ⁶⁸

Omnes insuper conveniunt huiusmodi delegationem pontificiam requiri non solum ut presbyter licite confirmet, sed ad validitatem confirmationis a simplici sacerdote collatae. Quenam est ergo indoles huius delegationis et quid per eamdem simplici sacerdoti confertur?

Actus quo Summus Pontifex potestatem confirmandi confert pertinet, iuxta omnes, ad iurisdictionem, ⁶⁹ non omnes tamen conveniunt circa indolem potestatis quae hoc modo presbytero confertur. Videamus ergo varias explicationes ab auctoribus propositas ut inde appareat quid sit tenendum.

a) *Per delegationem pontificiam confertur iurdictio*

Iam vidimus sententiam a Baisi propositam, iuxta quam differentia inter Episcopatum et Presbyteratum in eo consistit quod Episcopus in sua consecratione recipit ordinariam iurisdictionem, quae secundum eundem auctorem, requiritur ad valide confirmandum et ordinandum. Logice ergo ipse concludit per delegationem pontificiam presbytero conferri potestatem iurisdictionis. Secundum Baisi loqui non possumus in casu de delegatione potestatis ordinis, sed de delegatione potestatis iurisdictionis. Episcopus iurisdictionem requisitam iam possidet vi consecrationis episcopalis, presbyter vero eamdem recipit per delegationem pontificiam.

« Sacramentum episcopatus — ita scribit — distinguitur a presbyteratu quia in ordinatione episcopali confertur ordinaria potestas iurisdictionis requisita ad ministrationem quorundam sacramentorum. Quae tamen potestas Ecclesia iure extraordinario potest demandare etiam simplici presbytero ». ⁷⁰

Lépicier eamdem defendit sententiam distinguendo in episcopo duplicem iurisdictionem:

« unam quidem specialem, qua quilibet episcopus dioecesanus statim a sua electione fruitur, et quam nonnisi cessatione vel depositione ab officio amittit; aliam vero generalem, in omnes christifideles, ab ipsa episcopali dignitate promanantem, quae omnino inalienabilis est. Et quidem tantum vi prioris iurisdictionis, quam forensis vocare possumus, episcopus in suos subditos, sibi a Romano Pontifice assignatos, potest auctoritatem exercere... at vi al-

⁶⁸ S. THOMAS, *In IV Sententiarum*, d. 7, q. 3, art. 1: cfr. *Scriptum super Sententias*, IV, Parisiis 1947, n. 171-172 (p. 292-293).

⁶⁹ Cfr. A. MOSTAZA [not. 61] p. 301.

⁷⁰ C. BAISI, *Institutiones Theologiae Scholasticae*, IV [not. 48] p. 635.

terius iurisdictionis, quae radicalis est, manet semper populo superior, et proinde potest semper fideles valide confirmare, aut eisdem manus pro aliquo ordine conferendo imponere ». ⁷¹

Quando ergo Summus Pontifex ministerium confirmationis presbytero committit, ipsi non confert potestatem ordinis sed iurisdictionem ad valide confirmandum requisitam, quam episcopus vi dignitatis episcopalis iam possidet ⁷².

Eadem sententia recenter proposita est a Mörsdorf, ⁷³ iuxta quem potestas ordinis et potestas iurisdictionis simul requiruntur tam in episcopo quam in presbytero ad valide confirmandum. Hanc iurisdictionem possidet episcopus iure divino vi ordinationis episcopalis, presbyter vero eandem recipit ex delegatione pontificia.

Sunt alii auctores qui sententiam hucusque expositam partim approbant partim vero rejiciunt. Distinguendum enim esse putant inter potestatem qua episcopus confirmat et potestatem qua presbyter delegatus hoc sacramentum confert. Iuxta illos episcopus confirmat vi potestatis ordinis episcopalis, presbyter vero vi iurisdictionis sibi a Summo Pontifice demandatae.

En quomodo haec sententia a D'Annibale proponitur:

« Minister ordinarius huius sacramenti est episcopus; et ex delegatione (hodie solius Romani Pontificis) quivis Presbyter. Ille hoc sacramentum confert ex ordinis, cum primis Episcopalis, hic cum primis ex iurisdictionis potestate ». ⁷⁴

Doctrina haec confirmari videtur in parte expositiva alicuius resolutionis Sacrae Congregationis Concilii in qua legitur:

« Siquidem episcopi confirmationis sacramentum conferunt ex potestate ordinis, alii simplices sacerdotes ex potestate iurisdictionis a Summo Pontifice delegatae ». ⁷⁵

Ex contextu tamen videtur quod agatur tantummodo de sententia personali cuiusdam consultoris, quae valorem declarationis authenticae nullatenus habet. Immo de vero citatae clausulae sensu dubitari potest, eo quod consultor, ad suam confirmandam sententiam verba refert Benedicti XIV, quae tamen valent de natura actus quo Papa delegat, non vero de indole potestatis quae per delegationem confertur. ⁷⁶

⁷¹ A. H. M. LÉPICIER, *De baptismo et confirmatione*. Romae 1923, p. 397.

⁷² Ibid. [not. 71] p. 406.

⁷³ ED. EICHMANN-KL. MÖRSDORF, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, II⁶, Paderborn 1950, p. 37-40.

⁷⁴ J. D'ANNIBALE, *Summula Theologiae Moralis*, III, Mediolani 1883, p. 114, n. 143.

⁷⁵ P. GASPARRI, *Codicis Iuris Canonici Fontes*, VI, Romae 1932, p. 775.

⁷⁶ « Nam quamvis confirmare sit actus Ordinis Episcopalis... delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi huiusmodi actum, potius ad

Deslandes quoque defendere videtur indolem iurisdictionalem potestatis vi cuius simplex sacerdos confirmationem confert.⁷⁷ Ita etiam Onclin, iuxta quem potestas per legem vel indultum concessa necessario ad iurisdictionem pertinet.⁷⁸

Recentissime Lécuyer asserit hanc eandem sententiam logice sequi ex doctrina S. Thomae, quamvis non fuerit ab Angelico explicitè enuntiata.⁷⁹

b) *Per delegationem pontificiam non confertur iurisdictio sed aliquid pertinens potius ad potestatem ordinis.*

Auctores tamen communius rejiciunt sententiam quae necessitatem iurisdictionis ad validitatem confirmationis propugnat, sive agatur de Episcopo sive de presbytero delegato.⁸⁰

« Nullo modo apparet — scribit Brinktrine — quomodo iurisdictio ad rite i. e. valide confirmandum et ordinandum necessaria sit. Quare ista iurisdictio v. gr. ad validitatem Extremae Unctionis non requiritur? Doctrina quae in ministro confirmationis et ordinis aliquam iurisdictionem tamquam necessariam postulat, *singularis omnino ac nova* est ». ⁸¹

Neque valet parallelismus qui a quibusdam inter haec sacramenta et sacramentum poenitentiae instituitur. Nam

« iurisdictio ideo ad valide absolvendum necessaria est, quia absolutio est actus iudicialis in subditos, qui confessario assignari de-

iurisdictionem quam ad Ordinem pertinet ». BENEDICTUS XIV, *De synodo dioecessana*, lib. VII, cap. 8 n. VII, ed. [not. 43] p. 211a.

⁷⁷ *Le prêtre oriental ministre de la confirmation*, in *Échos d'Orient* 29 (1930) 8-9.

⁷⁸ « En effet, le pouvoir de confirmer que reconnaît une loi ou un indult, ne peut relever que du pouvoir de juridiction et n'a point le caractère d'un pouvoir d'ordre »: W. ONCLIN, *L'administration du Sacrement de la Confirmation en cas de mort*, in *Eph. Theol. Lovanienses* 25 (1949) 345-346. Secundum ONCLIN in sententia quae admittit potestatem ordinis posse per indultum concedi ruit distinctio inter potestatem ordinis et illam iurisdictionis; immerito tamen, nisi admittamus distinctionem inter utramque potestatem provenire ex solo modo quo confertur, non vero ex diverso obiecto formali utrique potestati proprio.

⁷⁹ F. LÉCUYER, *Le sacrement de l'Épiscopat*, in *Divinitas* 1 (1957) 240, nota 82. I. BONETTI tamen sententiam omnino contrariam ex doctrina S. Thomae deducit. Secundum ipsum potestas confirmandi pro S. Thoma est abs dubio potestas ordinis, quae ideo delegari non potest « quia non habet rationem characteris »: *Il potere di ordine extrasacramentale e la sua importanza nella teologia di S. Tommaso*, in *Divus Thomas* (Plac.) 51 (1948) 145.

⁸⁰ Fundamento carere videtur sequens assertio D. FERNÁNDEZ: « La mayoría de los autores reconocen que el Papa al delegar a un presbítero... le confiere únicamente una potestad de jurisdicción »: *XV Semana Española de Teología*, Madrid 1956, p. 210.

⁸¹ J. BRINKTRINE, *De Ministro Confirmationis Extraordinario*, in *Divus Thomas* (Plac.) 35 (1932) 513.

bent; e contra confirmatio per modum consecrationis confertur, non autem per modum iudicii. Quapropter sacerdos non confirmat vi cuiusdam iurisdictionis acceptae... ».⁸²

Neque magis fundata videtur sententia quae distinguit inter potestatem qua episcopus confirmat et illam qua sacerdos delegatus idem confert sacramentum, ita quidem ut episcopus confirmaret vi potestatis ordinis, presbyter vero vi iurisdictionis. Non enim videtur cur unus idemque actus pro episcopo sit actus potestatis ordinis, pro simplici vero sacerdote actus iurisdictionis.

Nihil ergo mirum si auctores generatim aliam quaerunt explanationem facultatis qua simplex sacerdos hoc sacramentum administrat, eamque potius ad potestatem ordinis pertinere autumant. Tamen rem non omnes eodem modo explicant. Eorum sententiae ad quattuor reduci possunt:

1) *Per delegationem completur potestas ordinis in presbytero iam existens.*

Sententia haec a Bellarmino⁸³ et Suarez⁸⁴ proposita plures inter modernos habet fautores.⁸⁵ Agnoscit in presbytero relate ad collationem sacramenti confirmationis quamdam ordinis potestatem *remotam* seu *inchoatam* et *incompletam*, quae, accedente delegatione pontificia, ita perficitur ut completa et efficax evadat. Quamvis ipse actus quo Summus Pontifex facultatem confirmandi concedit pertineat potius ad iurisdictionem, iurisdictionem tamen

⁸² J. CROSIGNANI, *De extraordinario Confirmationis Ministro*, in *Divus Thomas* (Plac.), 50 (1947) 90.

⁸³ « Respondeo: confirmare esse actum ordinis, et eum ordinem esse etiam in presbytero, saltem inchoatum et imperfectum. Observandum enim est characterem episcopalem, sive sit alius a presbyterali, sive idem extensior et maior, esse potestatem absolutam, et perfectam et independentem conferendi sacramenta confirmationis et ordinis, et ideo non solum posse episcopum sine alia dispensatione confirmare et ordinare, sed etiam non posse impediri ab ulla superiore potestate quin revera sacramenta ista conferat, si velit, licet peccet, si id faciat, prohibente Summo Pontifice, characterem autem presbyteralem esse quidem potestatem absolutam, perfectam et independentem quoad sacramentum baptismi et eucharistiae; esse autem potestatem inchoatam et imperfectam et dependentem a voluntate superioris quoad sacramentum confirmationis. Quo circa nisi perficiatur per dispensationem superioris ea potestas, presbyter confirmando nihil ageret, at si perficiatur, iam ex ipso suo characterem confirmabit ». *De sacramento confirmationis*, c. 12: cfr. *Roberti Cardinalis Bellarmini Opera Omnia*, III [not. 33] p. 323^a.

⁸⁴ F. SUÁREZ *In III S. Thomae*, Q. 72, a. 11, disp. 36, sect. 2: *R. P. Francisci Suarez... Opera Omnia*, XX (Parisiis 1860) p. 679^a-686^a.

⁸⁵ Cfr., e. gr., Ed. HUGON, *Tractatus dogmatici*, III⁵, Parisiis 1927, p. 281; J. BRINKTRINE, *De ministro extraordinario confirmationis*, in *Divus Thomas* (Plac.) 35 (1932) 507-518; S. ALVAREZ-MENÉNDEZ, *De extraordinario confirmationis ministro*, in *Angelicum* 24 (1947) 174.

non confert, sed potestatem ordinis inchoative et incomplete in presbytero iam existentem *ab extrinseco complet et perficit*.

2) *Per delegationem solvitur potestas ordinis ligata.*

Secunda sententia sustinet presbyterum, attenta sola ordinatione sacerdotali, sufficienti gaudere potestate ordinis ad sacramentum confirmationis valide administrandum. Haec tamen potestas ordinis presbyteralis non est absoluta et independens, sed *ligabilis*. Ecclesia, scilicet, vi potestatis ministerialis quae ipsi competit circa sacramentorum materiam et formam necnon circa eorundem ministros, potest illam *ligare* et de facto ligat, ita ut presbyter nequeat eam valide exercere. Quando ergo Summus Pontifex presbyterum delegat ad confirmationem conferendam, nihil aliud facit quam potestatem ab Ecclesia ligatam solvere. Differentia ergo inter potestatem episcopi et potestatem presbyteri hac in re in eo consistit quod episcopi potestas est absoluta et neque a Papa restringi potest quoad validitatem, potestas vero presbyteri ab Ecclesia ligari et inefficax reddi potest.

Inter fautores huius sententiae enumerari possunt De Smet,⁸⁶ et Diekamp-Hoffmann.⁸⁷ Videtur sustineri quoque a Mostaza, qui in conclusione sui studii de ministro extraordinario confirmationis ita scribit:

« Sola solutio quae nobis acceptabilis videtur est illa quae Ecclesiae adiudicat quoad ministrum confirmationis quamdam potestatem similem illi vi cuius materiam quorundam sacramentorum determinare potest et impedimenta matrimonialia statuere ».⁸⁸

Eadem sententia recenter a Journet proposita est.⁸⁹

3) *Delegatio pontificia sese habet uti « conditionem sine qua non ».*

Secundum alios auctores presbyter in sua ordinatione recipit potestatem confirmandi, sed sub sequenti conditione: '*si Romano Pontifici placuerit*'. Agitur ergo de potestate ordinis conditionata,

⁸⁶ DE SMET, *De sacramentis in genere*, p. 400-402.

⁸⁷ FR. DIEKAMP-AD. M. HOFFMANN, *Theologiae Dogmaticae Manuale*, IV, Tornaci 1934, p. 127. Auctor tamen non dicit expresse quod in casu potestas sit ligata ab auctoritate ecclesiastica.

⁸⁸ « La única solución que nos parece aceptable es la de reconocer a la Iglesia, en lo concerniente al ministro de la confirmación, análoga potestad a la que le conceden non pocos autores modernos respecto a la determinación de la materia y la forma de algunos sacramentos, y a la que tiene de establecer impedimentos dirimientes en el matrimonio »: A. MOSTAZA, *El problema del ministro extraordinario de la confirmación* [not. 22] p. 374.

⁸⁹ CH. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 53 (1953) 91-92, Cfr. etiam *Ami du Clergé* 53 (1936) 308-312.

quae nonnisi verificata conditione valide exerceri potest. Delegatio ergo pontificia nullam, proprie loquendo, potestatem presbytero confert; requiritur tantum ut conditio ad hoc ut presbyter ordinis potestatem iam habitam in actum deducat. Pro hac sententia citari possunt Billot,⁹⁰ Wernz-Vidal⁹¹, Gasparri⁹² et alii.

Sunt qui hanc sententiam paulo aliter explicant, uti e. gr. Tanquerey et Van Noort, qui eam quodammodo cum sententia supra sub 1) exposita unire videntur.

« Probabilius — scribit Tanquerey — alii putant iure divino ad ministrandam confirmationem requiri *dignitatem quamdam excellentem*, quia nempe agitur de militibus conscribendis; hanc vero dignitatem plane episcopis competere ex characterе suo, presbyteris autem non absolute et plane, sed radicaliter tantum, ita ut indigeat speciali deputatione qua compleatur potestas iam aliquo modo in characterе sacerdotali contenta ».⁹³

Id ergo quod per delegationem pontificiam presbytero confertur est dignitas quaedam, quae uti conditio requiritur ad hoc ut simplex sacerdos potestatem ordinis valide exercere possit.

4) *Per delegationem pontificiam confertur ipsa potestas ordinis.*

Anno 1948 in publicatione periodica « Divus Thomas » (Plac.) Ignatius Bonetti sententiam proposuit, quam Angelico Doctori attribuit, quaeque assertit per delegationem pontificiam non solummodo solvi vel compleri potestatem ordinis iam in presbytero existentem, sed tradi ipsam ordinis potestatem quae ad valide confirmandum requiritur.⁹⁴ Character presbyteralis utique requiritur

⁹⁰ « ... et ideo concludes quod character presbyteralis est de iure divino potestas ad confirmandum, non absolute, sed sub conditione commissionis acceptae ab eo qui in Ecclesia praeest »: L. BILLOT, *De Sacramentis*, Romae 1924, 16 p. 309.

⁹¹ F. X. WERNZ-P. VIDAL, *Ius canonicum*, IV/1, Romae 1934, p. 60-61, not. 9.

⁹² P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de sacra ordinatione*, II [not. 53], n. 799.

⁹³ Ad. TANQUEREY, *Synopsis Theologiae Dogmaticae*, III¹⁹ [not. 44], n. 480, B, b; cfr. G. VAN NOORT, *Tractatus de sacramentis*, I⁴, Hilversum 1927, p. 216, n. 263.

⁹⁴ « Per S. Tommaso il potere di amministrare la Cresima e l'Ordine, come tutti i poteri specifici dell'Episcopato, è di natura non sacramentale: non habet rationem characteris. Ed ecco allora la soluzione, molto semplice e chiara, che egli dà al problema dell'origine del potere del ministro straordinario: *Papa in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quaedam quae sunt ordinum superiorum committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam presbyteris concedit conferre minores ordines, quod pertinet ad potestatem episcopalem...* » (III, 72, 11 ad 1; Cfr. IV Sent., Dist. VII, q. 3, a. 1, sol. 3; Suppl., 38, 1 ad 3). Il potere dunque di amministrare la Cresima e l'Ordine deriva al ministro straordinario dalla facoltà pontificia, la quale non viene a rendere efficace un potere già esistente nel soggetto, ma conferisce semplicemente tale potere, traendolo dalla *plenitudo potestatis* competente

in ministro extraordinario; sed ratio est quia potestas circa Corpus Christi mysticum presupponit potestatem circa corpus Christi verum. Doctrina S. Thomae, secundum Bonetti, ita breviter proponi potest: Duplex distinguenda est potestas ordinis, alia *sacramentalis*, quae scilicet promanat ex caractere sacramentali ordinis, alia vero *extra-sacramentalis*, quae quamvis per sacram ordinationem conferatur, non promanat ex caractere sacramentali. Potestas sacramentalis respicit tantummodo corpus Christi verum; potestas vero extra-sacramentalis respicit administrationem aliorum sacramentorum et, cum non promaneat a caractere sacramentali, sed ab eo separari possit, nihil impedit quominus Papa, qui in Ecclesia habet plenitudinem potestatis, possit per actum iuridicum, qualis est delegatio, eam absque ritu ordinationis conferre. Potestas confirmandi quam episcopus recipit in sua consecratione episcopali extra-sacramentalis dici debet. Potest ergo a Summo Pontifice simplici presbytero committi. Quando ergo Papa presbyterum hoc modo ad conferendam confirmationem delegat, illi confert ipsam potestatem ordinis.

Possumusne in casu loqui de delegatione potestatis ordinis?

Attentis sententiis hucusque expositis, quaeri nunc potest: utrum actus quo Summus Pontifex presbytero committit facultatem confirmandi recte dici possit *delegatio potestatis ordinis?*

Omnibus perpensis, nobis retinenda videtur terminologia apud veteres canonistas usitata, qui fere unanimiter talem actum tamquam delegationem potestatis ordinis habent, prout ex studio nostro praecedenti plane constat⁹⁵. Nam, uti iam diximus, ex una parte sententia quae tenet per delegationem pontificiam conferri iurisdictionem omnino paucos habet fautores; imo iuxta P. Solà: « Haec sententia vix hodie sustinetur.⁹⁶ Alia vero ex parte sententias habemus, quae omnes sustinent delegationem pontificiam aliquo modo afficere ipsam ordinis potestatem, vel eam complendo, vel eam solvendo, vel ipsam potestatem ordinis conferendo. Merito ergo S. Pontifex dicitur *delegare* potestatem ordinis in casu; nam de

al Sommo Pontefice. Ciò è possibile, perchè tale potere di Ordine *non habet rationem characteris*, ossia non è sacramentale, e perciò non appare la ripugnanza che possa venir accordato anche con un atto giuridico, benchè non sia questa la via ordinaria... Nel qual caso l'origine del potere del ministro straordinario è da ripetersi unicamente dalla facoltà pontificia: I. BONETTI, *Il potere di Ordine extrasacramentale e la sua importanza nella teologia di S. Tommaso*, in *Divus Thomas* (Plac. 51 (1948) 144-145. Haec tamen sententia, in quantum sacramentalitatem episcopatus negare videtur, etiam si auctoritate Angelici Doctoris fulciatur, hodie difficulter sustineri potest; nam auctores fere communiter nunc defendunt sacramentalitatem episcopatus.

⁹⁵ *De delegabilitate potestatis ordinis* in *Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) 249-289.

⁹⁶ F. SOLÀ, *Sacrae Theologiae Summa*, IV² [not. 38], p. 216.

facto absque tali delegatione presbyter nequit confirmare; et sive dicamus quod per delegationem pontificiam potestas ordinis ipsa conceditur, sive quod solvitur vel completur potestas ordinis iam habita, fatendum est presbyterum absque tali delegatione potestate ordinis ad valide confirmandum *practice carere*. Actus ergo quo facultas confirmandi a Papa presbytero committitur merito vocatur *delegatio potestatis ordinis*.

« Proprie autem — scribit Berutti — potestas ordinis *delegari* dicitur, si facultas sine sacra ordinatione alicui conceditur certa divina officia rite celebrandi, quae ex ipsius Christi vel Ecclesiae institutione valide — per se — celebrari nequeunt ab his qui in determinato gradu hierarchiae ordinis non sint constituti ». ⁹⁷

In casu nostro agitur de actu ordinis episcopalis, seu qui per se poni potest a solis personis character episcopali insignitis. Quando ergo Papa hanc facultatem simplici presbytero absque ritu ordinationis confert, habetur delegatio proprie dicta potestatis ordinis in sensu a Berutti hic explicato.

Non est ergo cur modum loquendi canonistarum antiquorum rejiciamus. Imo attentis etiam recentioribus theologorum sententiis de natura potestatis confirmandi, actus quo Papa huiusmodi facultatem presbytero concedit aptissime, sub aspectu saltem canonico, nomine *delegationis potestatis ordinis* designatur; presbyter vero qui ex tali delegatione confirmationem confert merito dicitur confirmare vi potestatis ordinis delegatae. Nam quamvis actus quo Summus Pontifex presbyterum delegat pertineat potius ad iurisdictionem, id tamen quod per huiusmodi delegationem presbytero confertur saltem reductive ad potestatem ordinis pertinet. ⁹⁸

3º De potestate conferendi ordines

Ad probandum potestatem ordinandi esse ordinis et non iurisdictionis eadem valent argumenta quae de potestate confirmandi iam exposuimus; rationes enim ibi allatae de utraque potestate valent et de facto ab auctoribus utriusque potestati applicantur ⁹⁹. Superfluum ergo reputamus hanc quaestionem ex professo quoad potestatem ordinandi hic iterum excitare. Tractationem ergo nos-

⁹⁷ C. BERUTTI, *Institutiones Iuris Canonici*, II, Taurini 1943, p. 338.

⁹⁸ « Una cosa es afirmar que el Papa ejerce un acto de jurisdicción cuando delega la administración del sacramento del Espíritu Santo a un simple sacerdote, y otra muy distinta el sostener que este confirma en virtud de la jurisdicción recibida, amén de su potestad de orden. Con el primero aserto estan conformes casi todos los teólogos y canonistas, a partir del siglo XVI; con el segundo solo una minoría »: A. MOSTAZA, *El Problema del Ministro Extraordinario de la Confirmación* [not. 22], p. 308.

⁹⁹ Vide supra p. 353-357.

tram hic restringimus ad quaestionem de delegabilitate huius potestatis.

Quod Summus Pontifex non possit aliquem infra episcopum delegare ad episcopatum conferendum ab omnibus admittitur. Haec sententia a Solá dicitur « certa et communis ». ¹⁰⁰ Quaestio ergo a nobis tractanda respicit collationem ordinum infra episcopatum. Cum tamen non eadem responsio quoad omnes ordines dari possit, tractationem modo sequenti ordinabimus: 1) De delegabilitate potestatis conferendi ordines minores et subdiaconatum; 2) De delegabilitate potestatis conferendi diaconatum; 3) De delegabilitate potestatis conferendi presbyteratum.

De delegabilitate potestatis conferendi ordines minores et subdiaconatum.

Quod potestas conferendi ordines minores possit a Summo Pontifice simplici presbytero delegari negari nequit; hoc enim praxi Ecclesiae iamdiu confirmatur. ¹⁰¹ Idem dicendum est de potestate conferendi subdiaconatum. Antiquitus contrariam sententiam plures cum D. Thoma tenebant. Hodie tamen, quamvis potestas conferendi subdiaconatum non soleat presbyteris delegari, communiter tamen auctores Summo Pontifici adiudicant facultatem eam presbyteris delegandi. « Respondemus — scribit Gasparri — certum esse Romanum Pontificem posse dare potestatem conferendi primam tonsuram, ordines minores et etiam subdiaconatum, licet nonnulli cum D. Thoma... hoc ius Romano Pontifici denegaverint pro omnibus ordinibus maioribus; nam hanc facultatem de facto dedit » ¹⁰². Ratio est, uti notat ipse Gasparri, quia illi ordines, non excluso subdiaconatu, sunt ecclesiasticae institutionis; uti tenet sententia quae inter theologos iam communior dici debet, inter canonistas vero fere communis. Hanc sententiam Gasparri vocat « probabiliorem, ne dicamus certam, et apud recentiores passim receptam ». ¹⁰³

Sed etiam illi auctores qui tenent hos ordines esse sacramenta concedunt potestatem eisdem administrandi posse a Papa presbyteris demandari.

« Qui tenent — scribit Diekamp — quinque ordines inferiores esse institutionis mere ecclesiasticae evidenter admittere debent eum qui supremam potestatem in Ecclesia tenet, sacerdoti potestatem

¹⁰⁰ F. SOLÁ, *Sacrae Theologiae Summa*, IV 2 [not. 38], p. 700. Sententia contraria olim a VINCENTIO HISPANO proposita omni fundamento carere videtur; vide supra p. 335.

¹⁰¹ Cfr. *Codex Iuris Canonici*, can. 957, § 2.

¹⁰² P. GASPARRI, *De sacra ordinatione*, II [not. 53], p. 84.

¹⁰³ P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de sacra ordinatione*, I, Parisiis 1893, n. 41.

eos conferendi dare posse. Sed etiam ii theologi qui illos gradus ut ordines sacramentales habent, propositioni nostrae assentiunt, quia facultates per hos ordines collatae immediata habitudine ad Corpus Christi verum carent », ¹⁰⁴

Nec desunt testimonia historica de pluribus huiusmodi concessionibus factis a Summo Pontifice. « De facto — scribit Many — plura memorantur privilegia a Romanis Pontificibus presbyteris concessa... ». ¹⁰⁵ « Quibus omnibus perspectis — scribit Baisi — concludere possumus... esse saltem theologice certum simpliciter presbyteros esse posse ministros extraordinarios ordinum minorum et subdiaconatus » ¹⁰⁶.

De subiecto capaci recipiendi delegationem.

Qui ordines minores et subdiaconatum esse institutionis mere ecclesiasticae sustinent, facile concedunt non solummodo presbyteros sed etiam alios clericos inferiores posse ad eosdem conferendos delegari. Unus pro omnibus audiatur Gasparri:

« Ex dictis facile intelligitur quale ius Romanus Pontifex habeat concedendi privilegia circa ordinationes. Nam si sermo sit de prima tonsura, minoribus ordinibus et subdiaconatu, nulla est difficultas, cum ii gradus sint ecclesiasticae institutionis. Hinc Romanus Pontifex posset etiam diacono aut subdiacono privilegium elargiri conferendi subdiaconatum et gradus inferiores; imo absolute loquendo, posset etiam in inferioribus constituto dare privilegium conferendi ordinem altiorem institutionis ecclesiasticae, et etiam laico; sed haec incongrua forent ». ¹⁰⁷

Illi vero qui sacramentalitatem horum ordinum defendunt, quaestionem quoad clericos presbyteris inferiores non ponunt. Videntur enim supponere hanc potestatem pariter ac potestatem confirmandi committi posse illis dumtaxat qui character presbyterali sunt insigniti, iuxta rationem, convenientiae a D. Thoma adsignatam: « omnis operatio in corpus mysticum sacramentalis, dependet ab operatione super corpus Domini verum ». ¹⁰⁸.

¹⁰⁴ FR. DIEKAMP-AD. M. HOFFMANN, *Theologiae Dogmaticae Manuale*, IV [not. 87], p. 419.

¹⁰⁵ MANY, *Praelectiones de sacra ordinatione*, p. 145-146. Cfr. etiam DE VIVO, *Disputationes theologicae de re sacramentaria*, III p. 1041; M.-J. GERLAUD, *Le ministre extraordinaire du Sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 36 (1931) 875.

¹⁰⁶ C. BAISI, *Institutiones Theologiae Scholasticae*, IV [not. 48], p. 616.

¹⁰⁷ P. GASPARRI, *De sacra ordinatione*, II [not. 53] p. 88. Cfr. etiam F. M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, II/3, Taurinorum Augustae 1935, n. 290.

¹⁰⁸ Vide supra p. 340.

Ceterum cum, uti notat Gasparri, « incongruum foret » hanc facultatem aliis quam presbyteris demandare, probabile non est quod haec sententia umquam in praxim ab Ecclesia deducatur.¹⁰⁹

De delegabilitate potestatis conferendi diaconatum.

De delegabilitate potestatis conferendi diaconatum et presbyteratum difficilior est quaestio. Omnes auctores concordant hanc potestatem non posse delegari clerico caractere presbyterali non insignito; sed circa quaestionem utrum possit presbytero demandari non una est auctorum sententia¹⁰¹.

Cum vero, uti mihi videtur, fortiora argumenta et maius auctoritatis pondus pro delegabilitate potestatis ordinandi diaconos quam pro delegabilitate potestatis conferendi presbyteratum militent, singillatim de diaconatu et de presbyteratu agere opportunum duxi.

Veteres scholastici cum D. Thoma communiter negabant potestatem conferendi diaconatum posse a Papa simplici presbytero demandari. Ratio, iuxta Angelicum Doctorem, invenitur in hoc quod « ordines sacri habent actum supra corpus Christi verum, vel su-

¹⁰⁹ « Attamen Ecclesia numquam concessit praefatam potestatem conferendi ordines minores iis qui in sacro presbyteratus ordine non reperiantur »: F. M. CAPPELLO, *De sacramentis*, II/3 [not. 107] n. 290. Cfr. etiam CORONATA, *De sacramentis*, II² [not. 45] n. 21.

¹¹⁰ Inter scripta quae inde ab initio huius saeculi circa praesentem quaestionem prodierunt, notatu digna sunt sequentia (quae ordine chronologico recensemus): PIUS A LANGONIO, *De Bulla Innocentiana seu de potestate papae committendi simplici presbytero subdiaconatus et diaconatus collationem*, in *Analecta Ecclesiastica* 9 (1901) p. 311-318, p. 358-365, p. 421-430, p. 468-476; F. GILLMANN, *Zur Lehre der Scholastik von Spender der Firmung und des Weihesacraments*, Paderborn 1920; F. FOFI, *Un singolare privilegio riguardante il ministro dell'Ordine sacro*, in *La Scuola Cattolica* 52 (1924) 177-188; E. HUGON, *Etudes récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 24 (1924) 480-493; E. HOCÉDEZ, *Une découverte théologique*, in *Nouvelle Revue Théologique* 51 (1924) 332-340; E. HUGON, *Utrum possit SS. Pontifex delegare simplicem presbyterum ad conferendum diaconatum vel etiam presbyteratum?*, in *Divus Thomas* (Plac.) 28 (1925) 100-104; J. PUIG DE LA BELLACASA, *La bula « Sacrae religionis » de Bonifacio IX*, in *Estudios Ecclesiásticos* 4 (1925) p. 3-19, p. 113-137; M.-J. GERLAUD, *Le ministre extraordinaire du Sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 36 (1931) 874-885; J.-M. CANIVEZ, *articulus Cîteaux in Dictionnaire de Droit Canonique* III (1942) 745-795; Y. CONGAR, *Faits, problèmes et réflexions à propos du pouvoir d'Ordre et des rapports entre le presbyterat et l'épiscopat*, in *La Maison-Dieu* 14 (1948) 107-128; H. LENNERZ, *De sacramento ordinis?* [not. 130]; B. PIAULT, *Le sacrement de l'Ordre*, in *Nouvelle Revue Théologique* 71 (1949) 1030-1044; CH. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 53 (1953) 81-108; F. SOLÁ, *Hasta qué punto puede depender de la potestad de jurisdicción el valor de los sacramentos?*, in *XV Semana de Teología*, Madrid 1956, p. 5-32; D. FERNÁNDEZ, *Distinción entre Episcopado y Presbiterado y su problemática respecto al ministro extraordinario del sacramento del Orden*, in *XV Semana de Teología*, Madrid 1956, p. 119-234.

pra materiam eius » et « non potest (Papa) simplici sacerdoti committere promovere ad perfectionem quae respicit aliquo modo corpus Domini verum »¹¹¹.

Alia ex parte, prout iam vidimus, aliqui canonistae antiqui cum Huguccione¹¹², et Vincentio Hispano¹¹³ principium admiserunt iuxta quod ex delegatione Papae et adminiculo habitus sacramenti quilibet conferre possit sacramenta quae ipse recepit; unde non solum Presbyter, sed etiam diaconus delegari posset, iuxta ipsos, ad conferendum diaconatum. Haec tamen sententia communiter a theologis rejicitur.

Bulla « Exposcit » Innocentii VIII.

Quaestio vero utrum presbyter ad diaconatum conferendum delegari possit controvertitur inde ab initio saec. XVI, quo tempore auctores in cognitionem venerunt cuiusdam privilegii ab Innocentio VIII anno 1489 per Bullam « Exposcit » Abbatibus Cisterciensibus concessi et anno 1491 a Jean de Cirey in *Collectanea Cisterciensium Privilegiorum* editi. Bulla haec Abbati monasterii cisterciensis Cabilonensis aliisque quattuor Abbatibus privilegium concessit sequentis tenoris :

« ne monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus ordinibus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis monachis, aliis vero quattuor Abbatibus praefatis ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum... religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines huiusmodi alias rite conferre... ».¹¹⁴

Bullae authenticitas.

Authenticitas bullae Innocentii VIII saepe in dubium vocata est, non tamen a posteriori ratione argumentorum historicorum, sed potius a priori, ob rationes scilicet theologicas, ab illis praesertim theologis qui delegabilitatem potestatis conferendi diaconatum negabant. Auctores tamen qui recentiori tempore investigationem historicam instituerunt fere communiter ad bullae authenticitatem concluserunt.¹¹⁵

¹¹¹ S. THOMAS, *In IV Sent.*, d. 7, q. 3, a. 1 [cfr. not. 68]. Haec tamen ratio videtur potius a posteriori adducta ad explicandam praxim in Ecclesia illius temporis communem, presbyteris non committendi collationem diaconatus. Sententia D. Thomae et Scholasticorum fundari videtur non in hac ratione sed in praxi Ecclesiae.

¹¹² Vide supra p. 334.

¹¹³ Vide supra p. 335.

¹¹⁴ Textus Bullae integer videri potest apud C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali*, [not. 22], p. 13.

¹¹⁵ « L'authenticité de ce document a été parfois contestée par les théo-

Anno 1893 Cardinalis Gasparri, quaestionem dirimere intendens, ita scribebat :

« dum multi de Bullae genuinitate dubitant, mihi facta inspectione in Archivo Vaticano, relatum est bullam quidem ibidem reperiri, sed mentionem de diaconatu in eadem deesse. Quae cum ita sint, probabile non est hoc privilegium umquam ab Apostolica Sede concessum iri ». ¹¹⁶

Testimonium tamen hoc a clarissimo canonista scripto consignatum non videtur esse magni valoris historici, quippe quod debito apparatu critico manet privatum. Ad illud Pius a Langonio, qui de Bulla Innocentiana speciale peregit studium, sequentia animadvertit :

« Hanc porro informationem quam diligentissimus canonista proprio examine cribrare non valuit, duplici errore laborare in propatulo videtur. Et primo quidem in tabulariis Vaticani Archivi, non obstantibus quamplurium eruditorum accuratis investigationibus, Bulla originalis hucusque reperta non fuit; et secundo tenor Bullae, supposita transumpti genuinitate, non solum subdiaconatum sed et diaconatum terminanter, ac bis determinat. Si de subdiaconatu tantum lis esset, nulla certe ratio adforet innocentianum privilegium adeo mirificandi, quum subdiaconatus collationem simplicibus presbyteris creberrime commissam abunde constet ». ¹¹⁷

Unde Wernz-Vidal concludit : « relatio ista anonymi officialis non indicato accurate loco archivii Romani nec scripto diplomate esse suspecta non amplius sustineri potest » ¹¹⁸.

Notitia illa non solum suspecta, sed et pro simpliciter erronea nunc habenda est. Nam paucis abhinc annis in Archivis pontificiis inventa est ab Angelo Mercati « minuta » bullae innocentianae, in qua mentio de diaconatu reapse videri potest. P. Lécuyer testatur se ipsam « minutam » vidisse ¹¹⁹; et Vermeer de eadem scribit :

logiens moins soucieux de critique, mais désireux de ramener à l'alignement général un cas estimé embarrassant »: J. M. J. CONGAR, *Faits, problèmes et réflexions à propos du pouvoir d'Ordre, et des rapports entre le Presbyterat et l'Episcopat*, in *La Maison-Dieu* 14 (1948) 110; « Dubia contra authenticitatem huius bullae mota rem infirmare non valent »: DIEKAMP-HOFFMANN, *Theologiae dogmaticae manuale* IV [not. 87], p. 412; « Disons seulement que les circonstances historiques trop peu examinées jusqu'à présent, ne permettent pas de douter de l'authenticité de la célèbre bulle: J.-M. CANIVEZ, sub voce *Cîteaux* in *Dictionnaire de Droit Canonique*, III (1942) 783. Cfr. etiam TALBOT, *The Bulla 'Exposcit'*, in *Downside Review* 44 (1944), p. 84-94.

¹¹⁶ P. GASPARRI, *De sacra ordinatione*, II [not. 53], p. 85.

¹¹⁷ PIUS A LANGONIO in *Analecta Ecclesiastica* 9 (1901) 313. Cfr. etiam C. BAI-SI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22], p. 16.

¹¹⁸ WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, IV/1 [not. 91], p. 231, not. 127.

¹¹⁹ « Nous pouvons enfin annoncer que la minute en a été retrouvée par Mgr. A. Mercati et nous mêmes avons pu la lire aux Archives (Arm. 54, tom. 8, fol. 295) »: J. LÉCUYER, *Aux origines de la théologie thomiste de l'Episcopat*, in *Gregorianum* 35 (1954) 56-89.

« Nos ipsi eius « photocopiam » inspicere potuimus. In ea reapse fit mentio del collatione diaconatus; unde constat affirmationem Gasparri non correspondere veritati ». ¹²⁰

De privilegii interpretatione.

Non desunt auctores qui, quamvis Bullae authenticitatem admittant, eam tamen intelligendam esse asserunt de privilegio exemptionis in promovendis propriis subditis ad ordines subdiaconatus et diaconatus, seu de privilegio advocandi alium episcopum ad ordinationes peragendas sine licentia episcopi loci; non vero de potestate Abbati concessa praedictos ordines per seipsum conferendi. Quod huiusmodi interpretatio non possit a priori excludi videbimus infra ubi de aliis concessionibus pontificiis agemus. Contradicit tamen pluribus testimoniis omni exceptione maioribus e quibus constat Abbates Cistercienses vi huius bullae subdiaconos et diaconos pluries ordinasse. Unus pro omnibus audiatur Ysambertus Aurelianensis:

« ...quoque privilegio praedicti abbates non tantum ante Tridentinum Concilium usi sunt, sed etiam hoc ipso tempore adhuc utuntur, videntibus nec repugnantibus immo consentientibus et probantibus Episcopis in quorum dioecesi praedictae abbatiae sunt constitutae; nam dictos religiosos a suis praedictis abbatibus in subdiaconos et diaconos ordinatos, et ad se pro suscipiendo ordine presbyteratus missos, visis eorum diaconatus et subdiaconatus literis cum obedientia suorum Abbatum sine ulla difficultate vel scrupulo conscientiae ordinant sacerdotes... ». ¹²¹

Immo, testante Canivez, de huiusmodi ordinationibus ab abbatibus peractis exstant testimonia manuscripta in ipso archivio monasterii apud Clairvaux. ¹²²

Auctorum sententiae post editam bullam innocentianam.

Inde a saeculo XVI, post editam scilicet bullam innocentianam, sententiae auctorum circa delegabilitatem potestatis conferendi diaconatum in tres dividuntur classes; quae ita a Pio a Langonio describuntur:

¹²⁰ « Wij hebben een fotocopie ervan kunnen inzien en daaruit blijkt, dat de bewering van Gasparri niet juist is en dat er inderdaad wel sprake is diakenwijding »: P. VERMEER in *Bijdragen* 16 (1955) 275, not. 22.

¹²¹ YSAMBERTUS AURELIANENSIS, *Disputationes in III Partem S. Thomae*, III, *de Sacramento Ordinis*, disp. 6. Cfr. etiam MANY, *Praelectiones de sacra ordinatione*, p. 147-148; C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22], p. 22-23, ubi quaedam refert testimonia a testibus ocularibus prolata.

¹²² J.-M. CANIVEZ in *Dictionnaire de Droit Canonique*, III (1942) 783.

« *Prima* scilicet eorum qui talem facultatem Papae denegant et aprioristica quadam conclusione... Bullam ut commentitiam ad leves amandant aures.

*Alter*a eorum qui inter sic et non ancipites haerent et hypotheticam ponunt conclusionem, videlicet: Papae denegari non posse talem facultatem, si de Bulla ac de privilegio inibi specificato satis constet.

Tertia tandem eorum qui Bullae authenticitatem et privilegii legitimitatem de plano concedunt ac tuentur ». ¹²³

Addi quoque potest *quarta* sententia, quae tamen a paucis tenetur, quaeque a Pesch ita proponitur:

« Genuinitate concessionis supposita, estne quaestio de qua agitur, soluta? Non videtur; nam unum factum pontificium non facit legem neque dogma. Potuit Pontifex opinionem sequi, quae a multis doctoribus defendebatur, non eo ipso definiens hanc opinionem. Cum enim in tota historia ecclesiastica nullum aliud simile exemplum occurrat, videtur Ecclesia sentire se non posse talem facultatem concedere ». ¹²⁴

Quid tenendum?

Si nunc quaeratur quid tandem tenendum sit in hac complexa quaestione, modo sequenti respondendum esse censemus:

1) *Sententia affirmans non potest a priori rejici*. Uti supra notavimus, ratio a Divo Thoma adducta ad negativam probandam sententiam, quod scilicet a Papa delegari non potest facultas conferendi diaconatum eo quod relationem habeat erga Corpus Christi verum, in quadam dumtaxat convenientia fundari videtur. A priori enim, ut recte notat Wernz-Vidal, argumentum validum contra delegabilitatem praedictae facultatis proponi non potest.

« Nam si sola rei natura attendatur, Christus Dominus sine dubio potuit R. Pontifici hanc potestatem eodem modo concedere quo illi permisit simplicem sacerdotem deputare ad administrandum sacramentum confirmationis et ad conferendos ordines minores, immo etiam subdiaconatum, qui ex multorum theologorum opinione sunt vera sacramenta; ipsi vero subdiaconi sunt ministri sacri et immediati altaris, qui a diaconis non multum distant. Hinc si omnes illi theologi non invenerunt difficultatem vindicandi Romano Pontifici potestatem indulgendi facultatem presbytero ad collationem subdiaconatus, *ex natura rei et a priori* extensio illius potestatis pontificiae ad diaconatum non videtur repugnare, ita ut

¹²³ PIUS A LANGONIO in *Analecta Ecclesiastica* 9 (1901) 313.

¹²⁴ CH. PESCH, *Praelectiones dogmaticae*, VII [not. 36], n. 668. Cfr. etiam E. HUGON, *Etudes récentes sur le Sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 27 (1924) 491. Vide etiam J.-M. GERLAUD in *Revue Thomiste* 36 (1931) 879.

inde contra authenticitatem huius Bullae (Innocentii VIII) efficax argumentum peti non possit », ¹²⁵

Quaestio ergo solvenda est potius ex praxi Ecclesiae et ex doctrina auctorum.

2) *De historicitate concessionis innocentianae dubitari nequit.* Argumenta enim a quibusdam antiquis in contrarium proposita non possunt amplius sustineri post inventionem « minutae » ipsius bullae in archivis pontificiis.

3) *Privilegium consistit in facultate Abbatibus concessa conferendi diaconatum* et non solum in exemptione ab Episcopo quod ad promotionem ad ordines attinet. Ex indubiis enim testimoniis constat Abbates Cistercienses privilegium ita intellexisse et eodem usos esse non solum ante sed et post Concilium Tridentinum.

4) Post inventionem « minutae » bullae innocentianae *argumentum ex auctoritate* in favorem delegabilitatis multo fortius evadit, eo quod illi saltem auctores qui antea ancipites haerebant ob dubia circa bullae authenticitatem iam nunc fautoribus sententiae affirmantis accensendi sint. Idem quoque dicendum est de illis auctoribus qui quamquam authenticitatem de facto negabant, affirmabant nihilominus quod si de concessione revera constaret, de potestate Papae dubium non esset. ¹²⁶

5) Vix sustineri potest sententia, quam supra quarto loco recensuimus, quaeque negat concessionem pontificiam, etiamsi probetur, sufficere ad probandum Summum Pontificem posse hanc facultatem simplici presbytero delegare. Talis enim ratiocinandi modus satis temerarius videtur et contrarius menti non solum illorum auctorum qui tam bullae authenticitatem quam privilegii legitimitatem defendunt, sed et eorum quoque qui ancipites haerent circa bullae authenticitatem, et juxta quos, si de genuinitate concessionis constaret, non esset amplius locus dubitationi. ¹²⁷ Nam, ut ait Benedictus XIV, verba mutuans Veracrux, « de pontificis potestate postquam dispensavit dubitare, instar sacrilegii est ». ¹²⁸ Verum est bullam non continere definitionem dogmaticam. Hoc tamen non obstante, cuicumque theologo privato non licet Papam de errore in re tam gravi, non solum in se sed et in suis consequentiis, accusare. ¹²⁹

6) Non est praetereunda hac in re doctrina antiquorum de plenitudine potestatis qua gaudet Summus Pontifex utpote Christi

¹²⁵ WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, IV/1 [not. 91], p. 231, n. 127.

¹²⁷ Hoc admittit etiam P. GASPARRI, quamvis authenticitatem Bullae ipse neget: « Si id verum foret, quaestioni locus non esset »: *De sacra ordinatione* II [not. 53], p. 85.

¹²⁸ BENEDICTUS XIV, *De synodo dioecessana*, lib. VII, cap. 7 n. VII: ed. [not. 43] p. 208^a.

¹²⁹ Cfr. J. M. GERLAUD, *Le ministre extraordinaire du sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 36 (1931) 879.

Vicarius in terris. Limites huiusmodi potestati vicariae apponere ad solum jus divinum pertinet. Quousque ergo de hoc divino jure certo non constat, a priori standum est potius pro sententia affirmativa.

7) Validum argumentum contra delegabilitatem potestatis conferendi diaconatum erui non potest ex hoc quod Summi Pontifices propria potestate hac in re frequentius non sint usi. Nam

« non usus potestatis nondum dicit carentiam potestatis. Posset fortasse ex non usu potestatis ad eius absentiam concludi, si ostendi posset usum potestatis fuisse necessarium. Nam in tali casu non usus potestatis esse indicium Summum Pontificem censere se non habere hanc potestatem. Sed ne hoc quidem certum est, cum possint esse aliae rationes ob quas potestate sua non sit usus ». ¹³⁰

Concludendum ergo videtur sententiam affirmantem, quae etiam ante inventionem « minutae » bullae innocentianae a pluribus uti « probabilis » vel etiam « probabilior » ¹³¹ habebatur, iam nunc fortioribus fulcitur argumentis *multo probabiliorem*, ne dicamus *certam*, evasisse.

De delegabilitate potestatis conferendi presbyteratum.

His ultimis decenniis quaestio agitari incepit de delegabilitate potestatis conferendi presbyteratum. Huiusmodi discussionibus occasionem praebuit inventio duarum bullarum quae, saltem primo intuitu, privilegium adhuc maius quam illud in bulla innocentiana contentum concedere videntur, privilegium scilicet abbatibus factum conferendi etiam ordinem presbyteratus.

1) *Bulla Bonifacii IX « Sacrae religionis »* — Anno 1911 Egeron Beck publici iuris fecit textum bullae « Sacrae religionis », qua anno 1400 Summus Pontifex Bonifacius IX Abbati S. Ositae in Anglia concessit ut

« idem Abbas et successores sui in perpetuum abbates eiusdem monasterii pro tempore existentes omnibus et singulis canonicis praesentibus et futuris professis eiusdem monasterii omnes mi-

¹³⁰ H. LENNERZ, *De sacramento ordinis*² (ad usum auditorum), Romae 1953, p. 144.

¹³¹ Vide e. gr. CORONATA, *De sacramentis*, vol. II, 2 [not. 45] n. 21; MANY, *Praelectiones de sacra ordinatione*, p. 148-149; F. SCHMALZGRUEBER, *Ius canonicum universum*, tit. XI, 35; A. BARBOSA, *Iuris ecclesiastici universi libri III*, lib. I, cap. XI, §§ 50-51; LEURENIUS, *Ius canonicum in Decretales*, lib. I, tit. XI, Q. DLX. Admitti tamen non potest sequens affirmatio CORONATA: « Praecisione facta a quaestione concessionis innocentianae, auctores antiquiores communius docent Romanum Pontificem posse facultatem conferendi diaconatum simplicii presbytero delegare ». Nam auctores antiqui, paucis tantum exceptis, quaestionem de delegabilitate huius facultatis independentem a quaestione de authenticitate bullae non solvunt.

nones, nec non subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus ordines statutis a iure temporibus conferre libere et licite valeant... ».¹³²

Instante tamen Episcopo londinensi, qui ius suum per bullam laedi contendebat, privilegium revocatum est post tres annos per aliam Bullam pontificiam « Apostolicae Sedis ». De historicitate harum bullarum nullum dubium moveri potest; utrumque enim documentum in regestis pontificiis invenitur.¹³³

2) *Bulla Martini V « Gerentes ad vos »* — Tandem anno 1943 editus est textus privilegii a Martino V anno 1427 per bullam « Gerentes ad vos » Abbati monasterii Cellae S. Mariae concessi

« singulis monachis eiusdem monasterii ac personis tibi abbati subiectis omnes etiam sacros ordines conferendi, dioecesani loci licentia super hoc minime requisita ».¹³⁴

Ante publicationem harum bullarum sententia communis sustinebat Summum Pontificem non posse facultatem conferendi presbyteratum simplici sacerdoti committere.¹³⁵ Post inventas vero bullas Bonifacii IX et Martini V plures auctores quaestionem iterum examini subicere coeperunt et sententiam negantem (seu traditionalem), utpote in rationibus tantum *aprioristicis* fundatam, rejiciendam esse, sententiam vero affirmantem per argumentum de facto ad posse ex sensu obvio documentorum pontificiorum luculenter probari sustinent.

Alii autem argumentum de facto ad posse, ad collationem presbyteratus quod attinet, omni vi privari asserunt, eo quod factum in quo fundatur omnino non constet, et sententia hucusque *communis* delegabilitatem potestatis conferendi presbyteratum prorsus neget.

Etiam hodie quaestio adhuc sub iudice manet. Breviter ergo expositis argumentis quae ab auctoribus sive pro sive contra delegabilitatem afferuntur, nostrum iudicium tandem innuemus.

*Sententia affirmans delegabilitatem.*¹³⁶

Argumenta *de facto ad posse* pro sententia affirmante ita comprehendendi possunt:

a) Exstant duae concessionis pontificiae, de quarum authenticitate rationabiliter dubitari nequit. Textus utriusque bullae in-

¹³² EGERTON BECK in *English Historical Review* 26 (1941) 125.

¹³³ Cfr. C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22], p. 10.

¹³⁴ Textum huius bullae edidit K. A. FINK in *Zeitschrift der Savigny-Stiftung: kanon. Abteilung* 32, (1943).

¹³⁵ Cfr. MANY, *Praelectiones de sacra ordinatione*, p. 149.

¹³⁶ Praecipui huius sententiae fautores sequentes enumerari possunt: C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22], p. 153,

terpretandus est secundum planum et obvium verborum sensum. Propterea facultas *conferendi* ordines de qua fit mentio intelligenda est de facultate abbati a Papa concessa ipsum ritum ordinationis peragendi et non, ut volunt alii, de facultate advocandi alium episcopum, non exquisita licentia episcopi loci. Si textus non esset in se perspicuus, locus posset esse dubitationi, cum agatur de concessionibus tam extraordinariis; sed in bullis, prout jacent, nullum dubium haberi potest circa verum privilegii sensum. Immo, iuxta Gerlaud, ad exprimendam facultatem ipsum ritum ordinationis peragendi formula magis perspicua vix inveniri posset.¹³⁷

b) Sententia negans, quae traditionalis dicitur, falso innitur fundamento: Ecclesiam, scilicet, hanc facultatem de facto presbyteris numquam concessisse. Facile intelligitur cur auctores antiqui in sententiam negantem inclinarent, cum praxis Ecclesiae videretur contraria; unde rationes a posteriori exponebant ad explicandum quare Ecclesia collationem presbyteratus simplici sacerdoti committere nequeat. Sed agebatur semper de rationibus *a posteriori*, quae factum non-concessionis praesupponebant. Errore ergo est valorem argumenti *a priori* iisdem tribuere ut exinde ad impossibilitatem delegationis in casu concludatur.

Antiquitus eadem proponebantur argumenta ad probandum Ecclesiam non posse presbytero committere facultatem conferendi diaconatum, quia tunc temporis Bulla Innocentii VIII adhuc non fuerat concessa, vel ignota erat. Postea tamen, cognita concessione innocentiana, sententia affirmans quoad diaconatum propugnari coepit.

Quoad facultatem conferendi presbyteratum idem nunc dicendum est; nam contra factum non valet ratio. Ideo, cognitis duabus concessionibus pontificiis de quibus supra, sententia negans non potest amplius sustineri.

c) Admissa authenticitate bullarum, negari non potest Papae revera competere facultatem delegandi simplices sacerdotes ad ordinem presbyteratus conferendum. Neque sustineri potest Papam in praedictis concessionibus faciendis secutum esse

Id., *Institutiones Theologiae Scholasticae*, vol. IV [not. 48], p. 619; H. LERNERZ, *De sacramento ordinis*² [not. 130], p. 142-144; F. FOFLI, *Un singolare privilegio riguardante il ministro dell'Ordine sacro*, in *La Scuola Cattolica* 52 (1924) 177-188; E. HOCÉDEZ, *Une découverte théologique*, in *Nouvelle Revue Théol.* 51 (1924) 332-340; J. LÉCUYER, *Aux origines de la théologie thomiste de l'Épiscopat*, in *Gregorianum* 35 (1954) 87-88; DIEKAMP-HOFFMANN, *Theologiae Dogmaticae manuale*, vol. IV, [not. 87], p. 412; J.-M. GERLAUD, *Le ministre extraordinaire du sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 36 (1931) 874-885; CH. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 53 (1953) 81-108; D. FERNÁNDEZ, *Distinción entre Episcopado y Presbiterado*, in *XV Semana Española de Teología*, Madrid 1956, p. 120-234; etc.

¹³⁷ J.-M. GERLAUD, *Le ministre extraordinaire du sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 36 (1931) p. 881.

sententiam simpliciter erroneam quae tunc temporis probabilis reputabatur. Papam enim de errore in re tam gravi arguere « instar sacrilegii est ». ¹³⁸ Nam in dispensatione sacramentorum « factum Papae est factum Christi ». ¹³⁹

d) Magni quoque faciendum est argumentum ex plenitudine potestatis qua gaudet S. Pontifex in Ecclesia. Potestas enim Vicarii Christi plenissima est. Quapropter, deficientibus hac de re definitionibus ex parte Magisterii authentici Ecclesiae, valor argumentorum quibus theologi limites potestatis pontificiae statuere conantur non est exaggerandus; et huiusmodi argumenta semper cedere debent coram factis historice probatis. ¹⁴⁰

e) Quod Summi Pontifices aliqua potestate non frequentius sint usi, adduci nequit ad probandum talem potestatem Papae non competere. Nam Summus Pontifex suis facultatibus eatenus tantum utitur quatenus earum usum necessarium aut saltem utilem prudenter reputat ad finem Ecclesiae efficacius consequendum.

« Nullus autem in historia Ecclesiae indicari potest casus, in quo necessarium fuerit simplici sacerdoti concedere ordinationes sacramentales. Quando autem nulla est necessitas utendi aliqua potestate, non-usus non est signum eam non adesse ». ¹⁴¹

Si ergo de non usu ad non existentiam non valet illatio, multo minus hoc argumentum adhiberi potest vel ad respuenda privilegia certo concessa vel ad probandum eadem alio modo necessario esse intelligenda.

f) Notandum quoque est sententiam affirmantem delegabilitatem non esse omnino novam; neque verum est concessionem pontificiam contradicere doctrinae antiquitus pacifice possessae. Non desunt enim inter antiquos qui delegabilitatem potestatis conferendi presbyteratum propugnauerunt. Plures citari possunt, praesertim ex schola bononiensi, uti e. gr. Huguccio, Vincentius Hispanus, Joannes Teutonicus, Tancredus, etc. ¹⁴² Et si haec opinio defendi poterat quando nulla cognoscebatur concessio pontificia, a fortiori admitti debet nunc post cognititas concessionem a Bonifacio IX et Martino V factas.

Quibus omnibus perpensis, concludendum est facultatem conferendi presbyteratum posse a Summo Pontifice etiam simplicibus sacerdotibus committi.

¹³⁸ Vide supra p. 366.

¹³⁹ SOCINATI, *Epitome Quaestionum Capreoli*, In IV, D. VII.

¹⁴⁰ Cfr. *Homiletic and Pastoral Review* 22 (1922) 984.

¹⁴¹ H. LENNERZ, *De sacramento ordinis*² [not. 130], p. 144.

¹⁴² Cfr. C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22], p. 32-35; J.-M. GERLAUD, *Le ministre extraordinaire du sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 36 (1931) 882-885.

*Sententia negans delegabilitatem.*¹⁴³

Sententia negans delegabilitatem potestatis conferendi presbyteratum, quae ante inventionem bullarum Bonifacii IX et Martini V pro *communi et certa* a multis habebatur, etiam hodie a maiore auctorum parte propugnatur. Imo fautores huius sententiae valorem probativum bullarum in casu omnino negant et sententiam affirmantem, utpote falso innixam fundamento, prorsus reiiciunt. En argumenta principalia pro sententia negante:

a) Argumentum princeps pro hac sententia ex *traditione* desumitur; nam iuxta eiusdem fautores, tum Patres tum Doctores antiqui communiter semper sibi persuasum habuerunt potestatem ordinandi presbyteros ita propriam esse Episcopis ut nullo modo presbyteris committi possit. Differentiam inter episcopos et presbyteros reponendam esse reputant proprie in potestate ordinandi; quod saltem de potestate conferendi presbyteratum intelligi debet.¹⁴⁴

b) Accedit constans Ecclesiae praxis, ex qua concludere licet Papam semper sibi persuasum habuisse se non posse talem facultatem presbyteris delegare.

«Si talis potestas existeret — scribit Solá — sine dubio saepe Ecclesia in circumstantiis difficillimis tempore persecutionis, in locis missionum et dissitis, id concessisset simplicibus sacerdotibus. Atqui non constat de hac facultate concessa. Ergo signum est Ecclesiam supponere huiusmodi indultum concedi non posse. Quod eo vel magis valet, quod facultas conferendi ordines minores conceditur Praefectis Apostolicis, Abbatibus, Cardinalibus non episcopis; et administratio confirmationis etiam parochis concessa est in casu necessitatis. Iam vero tum Ordines minores tum Confirmatio

¹⁴³ Pro sententia negante citari possunt: G. VAN NOORT, *De sacramentis*, II, Hilversum 1930, p. 163; L. LERCHER, *Institutiones Theologiae Dogmaticae*, IV/2,2 [not. 35], p. 325-326; F. X. WERNZ-P. VIDAL, *Ius canonicum*, IV/1 [not. 91], p. 232; F. HERVÉ, *Manuale Theologiae Dogmaticae* IV⁹ [not. 37], p. 494-495, n. 514; AD. TANQUEREY, *Synopsis Theologiae Dogmaticae*, III¹⁹ [not. 44], n. 836; B. PIAULT, *Le sacrement de l'Ordre*, in *Nouvelle Revue Théologique* 71 (1949) 1030-1035; E. HUGON, *Etudes récentes sur le sacrement de l'Ordre*, in *Revue Thomiste* 24 (1924) 480-493; ID., *Utrum possit Summus Pontifex delegare simplicem presbyterum ad conferendum diaconatum vel etiam presbyteratum?*, in *Divus Thomas* (Plac.) 28 (1925) 100-104; ID., *Tractatus dogmatici*, III [not. 42], p. 729-732; F. M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, II/3 *De sacra ordinatione* [not. 107] nn. 299-312; CORONATA, *De sacramentis*, II² [not. 45], p. 21; FR. SOLÁ, *Sacrae Theologiae Summa*, IV² [not. 38], p. 698-704; ID., *Hasta qué punto puede depender de la potestad de jurisdicción el valor de los sacramentos?*, in *XV Semana Española de Teología*, Madrid 1956, p. 15-25; M. DAFFARA, *Cursus manualis theologiae dogmaticae, De sacramentis et novissimis*, Taurini 1944, p. 620-621; etc.

¹⁴⁴ F. M. CAPPELLO, op. cit. [not. 143] p. 198; WERNZ-VIDAL, op. cit. [not. 143] p. 234.

non sunt tam necessarii sicut Ordinatio presbyteralis in illis circumstantiis specialibus ». ¹⁴⁵

c) Bullae Bonifacii IX et Martini V, quamvis indubie sint authenticae, adduci nequeunt ad probandum Papam posse facultatem ordinandi presbyteros etiam simplici sacerdoti concedere, tum quia 1) probari non potest hunc esse sensum privilegii in praedictis bullis concessi, tum quia 2) « eiusmodi concessionis particulares, etsi certo historice demonstratae essent, argumentum petatum ex ampla traditione non eliderent ». ¹⁴⁶

Ad 1): Bullae non continent privilegium abbatibus concessum ipsum ordinem presbyteratus conferendi, sed

« intelligendae sunt de facultate Abbati concessa licentiam seu litteras dimissorias tribuendi subditis pro suscipiendis ordinibus, independenter ab Episcopo... dioecetano ». ¹⁴⁷

Huiusmodi enim privilegia a pluribus regularibus inde a Clemente IV obtenta sunt contra ius commune, iuxta quod regulares ordinari debebant ab Episcopo dioecetano, cum consensu seu ad praesentationem Abbatis, nisi peculiari gauderent privilegio apostolico. ¹⁴⁸ Privilegium hoc consistebat in facultate Abbatibus concessa suos subditos pro ordinatione praesentandi cuivis Episcopo communionem cum S. Sede habenti.

Quod etiam Bullae Bonifacii IX et Martini V hoc modo intelligi debeant sequentibus rationibus facile evincitur:

Bullae concessae sunt ad instantiam, ideoque secundum preces ab Abbatibus in casu porrectas. Nullibi vero constat Abbates facultates petiisse ipsos ordines sacramentales conferendi. ¹⁴⁹

Neque ex bullarum textu neque ex contextu apparet praedictos Summos Pontifices voluisse privilegium tam extraordinarium et exorbitans concedere. Verba ergo « ordines conferre » intelligi debent in casu non de collatione ordinum ab ipsis Abbatibus facienda, sed de facultate libere ac licite advocandi quemcumque Episcopum, quin intercederet licentia Episcopi loci. ¹⁵⁰

Haec interpretatio nullam vim infert textui bullarum. Nam

¹⁴⁵ F. SOLA, *Sacrae Theologiae Summa*, IV² [not. 38], p. 701.

¹⁴⁶ L. LERCHER, op. cit. [not. 143] p. 612; F. SOLA, *Sacrae Theologiae Summa*, IV² [not. 38], p. 703, n. 115.

¹⁴⁷ F. M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, II/3 [not. 107], p. 205-206, n. 311.

¹⁴⁸ Ibid.; cfr. etiam F. X. WERNZ-P. VIDAL, *Ius canonicum*, IV/1 [not. 91], p. 234.

¹⁴⁹ Cfr. J. PUIG DE LA BELLACASA, *La Bula « Sacrae religionis »*, in *Estudios Eclesiásticos* 5 (1925) 3-19, 113-137.

¹⁵⁰ Cfr. F. X. WERNZ-P. VIDAL, op. cit., [not. 143], p. 234; F. M. CAPPELLO, op. cit. [not. 143] p. 205-206.

« ex stylo Curiae Romanae, ex usu loquendi in documentis pontificiis adhibito atque a probatis canonistis passim recepto, liquet verba « ordinare » « ordines conferre », « promovere ad ordines » interdum significare « praesentare ad ordines suscipiendos », « dare licentiam pro ordinatione », « concedere litteras dimissorias » seu « facere ordinare ». ¹⁵¹

Uti exemplum citari potest privilegium anno 1307 abbati monasterii Opitergensis, a Clemente V concessum « conferendi, praeter clericalem tonsuram et ordines minores, etiam maiores ordines, statutis a iure temporibus, seu praesentandi subditos professos Episcopo ut licite ordinentur », ¹⁵²

Inde facile intelligitur quare in Bulla Bonifacii IX dicatur quod Abbates « ...ordines, statutis a iure temporibus, conferre *libere et licite* valeant ».

« Porro voces *libere et licite* nequaquam intelligi possunt de asserta potestate conferendi revera ordines sacros, dum optime intelligi atque explicari possunt de memorato privilegio praesentandi subditos ad ordinationem cuilibet episcopo. Scilicet, *libere*, absque dependentia ab Episcopo dioecesano; *licite*, sine transgressione legis ecclesiasticae atque laesione iuris alieni ». ¹⁵³

Haec interpretatio, quoad Bullam Bonifacii IX, ulterius suadet, inspecto tenore bullae qua privilegium Abbati S. Ositae concessum postea revocatum est. Ratio enim revocationis sequens datur:

« cum... indulta huiusmodi in gravem ipsius Episcopi et iurisdictionis suae ordinariae ac ecclesiae londinensis laesionem vergere diagnosticantur ». ¹⁵⁴

Nullum exstat historicum documentum ad probandum Abbates ordines sacros, vi privilegiorum in bullis concessorum, revera contulisse. Ex quo concludere licet ipsos abbates concessionem non intellexisse de facultate ordines per se ipsos conferendi. ¹⁵⁵

Praeterea concessionem Bonifacii IX et Martini V auctoribus antiquis prorsus ignotae fuisse videntur, neque umquam afferuntur ad probandum Papam posse huiusmodi facultatem presbyteris committere. Quod mirum omnino videtur praesertim si consideremus abundantem litteraturam quae circa bullam Innocentii VIII exstat. ¹⁵⁶

¹⁵¹ F. M. CAPPELLO, *op. cit.* [not. 143] p. 208.

¹⁵² Ibid. [not. 151].

¹⁵³ F. M. CAPPELLO, *op. cit.*, [not. 143], p. 206.

¹⁵⁴ Cfr. textum bullae apud C. BAISI, *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* [not. 22], p. 8-9.

¹⁵⁵ Cfr. F. SOLÁ, *Hasta qué punto puede depender de la potestad de jurisdicción el valor de los sacramentos?*, in *XV Semana Española de Teología*, Madrid 1956, p. 21.

¹⁵⁶ Cfr. F. M. CAPPELLO, *op. cit.*, [not. 143]; p. 207-208: « Doctores qui post

Bullae ergo Bonifacii IX et Martini V intelligendae sunt non de potestate *conferendi* ordines sacros, sed de privilegio Abbatibus concessio committendi cuicumque episcopo ordinationem propriorum subditorum absque licentia Episcopi loci in quo monasteria sita erant.

Ad 2): Auctores recentiores generatim agnoscunt momentum quaestionis de vero sensu concessionum Bonifacii IX et Martini V ad solutionem problematis de ministro extraordinario presbyteratus. Sunt tamen nonnulli qui asserunt huiusmodi concessionem particularem non constituere argumentum decisivum pro sententia affirmante, etsi invicte probari possit Papam his in casibus revera voluisse facultatem presbyteratum conferendi Abbatibus concedere.

« Certe — scribit Wernz-Vidal — unum factum pontificium non facit legem neque dogma; unde unica facta facultas, si illum haberet sensum, quaestionem theologicam de ministro validae ordinationis non resolveret indubitato modo ». ¹⁵⁷

Et Van Noort:

« Unum observemus... huiusmodi concessionem particularem, si factae sunt, haud importare decisionem infallibilem ». ¹⁵⁸

Hanc esse sententiam auctorum gravium asserit Solá:

« Nec praetereundum est quod auctores graves animadvertunt infallibilitatem Summi Pontificis non laedi, si in uno casu particulari concessionem non validam concederet, innixus in opinione alicuius vel plurium theologorum ». ¹⁵⁹

Sententia ergo negans, quae tota traditione et fere communi theologorum auctoritate fulcitur, elidi non potest per unam alteramve concessionem particularem; nam in hoc Papa sequi potuisset opinionem simpliciter erroneam.

d) In canone 951 Codicis Canonici statuitur:

« Sacrae ordinationis minister ordinarius est Episcopus; extraordinarius, qui licet caractere episcopali careat, a iure vel a Sede Apostolica per peculiare indultum potestatem acceperit aliquos ordines conferendi ».

Ille ergo qui caractere episcopali caret potest per indultum obtinere potestatem conferendi *aliquos ordines*, non vero *omnes ordines*. Ergo saltem presbyteratus excipiendus est. ¹⁶⁰

annum 1400 floruerunt, nullam mentionem faciunt de facultate concessa abbatibus monasterii S. Ositae nec ullam promovent difficultatem aut inde argumentum hauriunt in favorem potestatis pontificiae ».

¹⁵⁷ WERNZ-VIDAL, op. cit. [not. 143], p. 234.

¹⁵⁸ G. VAN NOORT, *De sacramentis*, II, Hilversum 1930, p. 163.

¹⁵⁹ F. SOLÁ, *Sacrae Theologiae Summa*, IV² [not. 38], p. 703.

¹⁶⁰ Op. cit. [not. 159] p. 701: « Ubi sufficienter ostenditur non omnes, sed

Perpensis ergo tum sententia Patrum et theologorum, tum praxi Ecclesiae; concludendum videtur Papam non posse facultatem conferendi presbyteratum simplici sacerdoti delegare.

Animadversiones circa argumenta pro utraque sententia adducta.

Quid ergo tenendum? Sequentia nobis animadvertenda videntur:

a) Fautores sententiae negantis magni faciunt argumentum ex traditione; sed dubitari licet utrum validum argumentum ex traditione confici possit. Textus Patrum qui ab auctoribus afferuntur optime intelligi possunt de praxi tunc temporis in Ecclesia vigente, neque invocari possunt ad solvendam quaestionem hodie inter auctores disputatam, sed quae tempore Patrum non agitabatur.¹⁶¹

b) Bullae Bonifacii IX et Martini V valde labile praebent fundamentum argumento *de facto ad posse*. Nam, neque ex textu, neque ex contextu, neque ex testimoniis historicis probari potest facultatem in ipsis concessam necessario intelligendam esse de facultate *conferendi* sacros ordines. Notandum insuper est nullum exstare testimonium historicum ad comprobandum Abbates quibus praedicta privilegia concessa sunt, ea hoc modo interpretatos fuisse aut eisdem hoc modo intellectis usos esse.¹⁶² Praeterea, secus ac de concessione innocentiana vidimus, hae bullae et privilegia in iisdem, contenta auctoribus antiquis penitus ignota fuisse videntur; quod difficulter explicatur, si facultatem tam insolitam revera concesserunt.

Si de facto concessionis constaret, non esset amplius locus dubitationi. Neque licet Papam de errore in re tam gravi accusare; nam « de pontificis potestate postquam dispensavit dubitare, instar sacrilegii est ».¹⁶³

c) Alia ex parte, etiam si historice certo constaret Papam facultatem ordinandi presbyteros simplici sacerdoti numquam concessisse, ob hanc solam rationem non liceret concludere Papam carere potestate huiusmodi facultatem presbytero committendi. Nam, uti supra notavimus, de non-usu ad non-existentiam potestatis non valet illatio.

d) Argumentum pro sententia negante ex canone 951 desumptum non est urgendum. Legislator enim quaestiones disputatas dirimere nullatenus intendit. Praescriptum canonis est indu-

aliquos tantum posse simplicem sacerdotem Ordines ex indulto Apostolico conferre ».

¹⁶¹ Cfr. textus citatos apud F. SOLÁ, *op. cit.*, [not. 159], p. 701.

¹⁶² F. SOLÁ, *Hasta qué punto puede depender de la potestad de jurisdicción el valor de los sacramentos?*, in *XV Semana Española de Teología*, Madrid 1956, p. 20.

¹⁶³ Vide supra pp. 366, 370.

bie indolis disciplinaris neque ullam continet decisionem doctrinalem.

e) Ad auctoritatum pondus quod attinet, sententia negans maiori probabilitate externa gaudere dicenda est. Argumenta tamen quae pro ipsa militant non videntur talia quae omnem vim argumentorum pro sententia affirmante elidant.

f) Evolutio doctrinae de plenitudine potestatis pontificiae, in iis praesertim quae ad sacramenta spectant, cautos nos reddere debet in apponendis limitibus illi potestati vicariae, quae Summo Pontifici a Divino Ecclesiae Fundatore collata est.

g) Argumenta a priori neque pro neque contra delegabilitatem facultatis conferendi presbyteratum afferri possunt. Neque ex hoc quod collatio diaconatus presbytero committi potest concludere possumus idem logice dicendum esse de collatione presbyteratus.¹⁶⁴

h) Quibus omnibus perpensis concludendum esse censemus iudicium definitivum de hac implexa quaestione, saltem in praesenti theologiae statu, dari non posse. Sententia negans, quae antiquitus communis erat, hodie adhuc communior dici debet; et, inspectis tum traditione, tum disciplina ecclesiastica, tum demum numero auctorum qui eam propugnant, nobis probabilior videtur. Sententia tamen affirmans non videtur carere aliqua probabilitate intrinseca.¹⁶⁵

B - DE DELEGABILITATE POTESTATIS PRESBYTERALIS

Per potestatem presbyteralem hic intelligimus illam ordinis potestatem quae presbyteris vi propriae ordinationis competit quaeque sub sequentibus capitibus comprehenditur:

- a) Potestas offerendi sacrificium Missae et conficiendi sacramentum eucharistiae;
- b) Potestas remittendi peccata;
- c) Potestas ministrandi Extremam Unctionem;
- d) Potestas administrandi quaedam sacramentalia, praeser-

¹⁶⁴ C. BAISI in sua dissertatione « *Il ministro straordinario degli Ordini Sacramentali* » [not. 22], simul tractat de diaconatu et de presbyteratu, et hoc, uti videtur, ob rationem sacramenti quae utrique ordini est communis. Conclusio totius dissertationis, papam scilicet posse simplici sacerdoti delegare facultatem conferendi ordines sacramentales diaconatus et presbyteratus, latius patere videtur quam praemissae. Nam longe maior pars auctorum qui pro sententia affirmante ab Auctore allegantur, loquuntur de solo diaconatu; dum pauciores sunt qui de delegabilitate potestatis conferendi presbyteratum agunt.

¹⁶⁵ Cfr. F. M. CAPPELO, *De sacramentis*, II/3 [not. 107], p. 198, n. 299; C. BAISI, *Institutiones Theologiae Scholasticae*, IV, [not. 48], p. 618. « *Todavía, scribit Solá, no ha progresado suficientemente la teología sacramentaria, para poder, en muchos de los puntos discutidos, afirmar categóricamente por cual de las partes está la verdad* », in *XV Semana Española de Teología*, Madrid 1956, p. 31.

tim omnes benedictiones valide impertiendi, nisi aliter expresse in iure cautum fuerit.¹⁶⁶

Circa delegabilitatem potestatis presbyteralis speciales difficultates hodie non habentur. Doctrina hac de re ita enucleari potest:

1) Potestas offerendi sacrificium Missae ita arcte cum character presbyterali cohaeret ut ne Romanus quidem Pontifex possit illam personis hoc character non insignitis committere.

2) Idem dicendum est, iuxta communem auctorum sententiam, de potestate remittendi peccata et administrandi Extremam Unctionem.

Quoad ministrum sacramenti Poenitentiae Concilium Tridentinum ita definivit:

« Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis christifidelibus esse dictum: Quaecumque ligaveritis... anathema sit ».¹⁶⁷

Verum est definitionem tridentinam non tangere quaestionem utrum Summus Pontifex possit potestatem remittendi peccata etiam non presbyteris committere. Sed « doctrina haec ex iure divino ita intelligenda est ut ne Ecclesia quidem possit unquam potestatem absolvendi concedere laico vel clerico qui ordine presbyteratus insignitus non sit ».¹⁶⁸

Ad Extremam Unctionem quod attinet; idem Concilium Tridentinum definivit:

« Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus inducendos esse ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremae Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, anathema sit ».¹⁶⁹

Hic iterum notandum est definitionem prescindere a quaestione utrum Summus Pontifex facultatem conferendi Extremam Unctionem etiam non presbyteris committere possit.

Neque defuerunt etiam inter catholicos qui omnimodam necessitatem ordinis presbyteralis in ministro Extremae Unctionis negarent. Sic, e. g. Thomas Netter Waldensis¹⁷⁰ et Joannes Lau-

¹⁶⁶ F. M. CAPPELLO, *De sacramentis*, II/3 [not. 107], p. 83; M. DE LUCA, *Praelectiones Iuris Canonici*, I, Romae 1897, p. 105; *Codex Iuris Canonici*, can. 1147, §§ 2 et 3.

¹⁶⁷ *Concilium Tridentinum*, Sess. 14, can. 10; H. DENZINGER-A. SCHÖNMEYER, *Enchiridion Symbolorum*³², Barchinone 1963, n. 1710.

¹⁶⁸ MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *Institutiones Iuris Canonici, De sacramentis*, I2, Augustae Taurinorum 1951, p. 343, n. 347.

¹⁶⁹ *Concilium Tridentinum*, Sess. 14, can. 4; DENZINGER-SCHÖNMEYER [not. 167] n. 1704.

¹⁷⁰ *Thomae Waldensis... Doctrinale Antiquitatum Fidei*, II, Venetiis 1571, cap. 163, n. 3.

noi.¹⁷¹ Secundum Launoi diaconus posset, de licentia Episcopi, in casu necessitatis, hoc sacramentum administrare. Recentius Boudinhon docuit non solum diaconum, sed et quemlibet, etiam laicum, in casu necessitatis hoc sacramentum valide conferre.¹⁷²

Communiter tamen auctores docent ordinem presbyteralem omnino requiri ad sacramentum Extremae Unctionis valide administrandum, ita ut ne quidem Romanus Pontifex posset facultatem ungendi infirmos non presbyteris committere. « Minister enim huius sacramenti, scribit Cappello, dicitur solus (sacerdos), quatenus nemo alius, carens potestate presbyterali, est minister capax huius sacramenti, aut talis constitui seu effici potest, sive sit laicus sive clericus ». ¹⁷³

3) Quoad potestatem administrandi sacramentalia, applicanda venit doctrina de potestate consecrandi et benedicendi quam in praecedenti huius ephemeridis numero ¹⁷⁴ exposuimus. Agitur enim de potestate quae a solo iure ecclesiastico pendet quaeque propterea a Summo Pontifice etiam clericis inferioribus, imo etiam laicis committi potest. Dicimus « a Summo Pontifice », quia hic valent ea quae in praedicto nostro studio diximus de delegatione proprie dicta potestatis ordinis, quae a solo Summo Pontifice fieri potest.

C - DE DELEGABILITATE POTESTATIS ADNEXAE ORDINIBUS INFRA PRESBYTERATUM

De potestate ordinibus infra presbyteratum adnexa pauca dicenda sunt. Quaestiones enim circa delegabilitatem huius potestatis nullam specialem praeseferunt difficultatem. Nam nulla his ordinibus adnectitur potestas quae validam sacramentorum administrationem afficiat.

Verum est diaconatum esse sacramentum, ac propterea characterem imprimere et quamdam ordinis potestatem iure divino secumferre. Sed quidquid sit de natura huius potestatis, certum est eam non esse talem quae ad validam alicuius sacramenti administrationem requiratur. Unde quamvis diaconi iure divino per sacram ordinationem ministri sacri in Ecclesia constituentur, nihilominus actus qui huic ordini sunt proprii non ita iure divino reservantur, ut non possint valide etiam a non diaconis poni. Si qui ergo actus diaconis ad validitatem reservantur, hoc ex iure ecclesiastico provenit, non vero ex iure divino.

Iamvero cum delegatio proprie dicta potestatis ordinis tunc tantum habeatur cum « facultas sine sacra ordinatione alicui con-

¹⁷¹ LAUNOI, *Opera Omnia*, I, p. 569, obs. II.

¹⁷² *Revue Catholique des Eglises* 2 (1905) 75.

¹⁷³ F. M. CAPPELLO, *De sacramentis*, II/2, Romae, 1932, p. 75.

¹⁷⁴ *De delegabilitate potestatis ordinis* in *Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) 249-289.

ceditur certa divina officia rite celebrandi, quae ex ipsius Christi vel Ecclesiae institutione valide — per se — celebrari nequeunt ab iis qui in determinato gradu hierarchiae ordinis non sint constituti », ¹⁷⁵ patet quaestionem de delegabilitate potestatis ordinibus infra presbyteratum adnexae exurgere tantum relate ad illam potestatem quae ex iure ecclesiastico in his ordinibus confertur ad quaedam sacramentalia valide administranda.

De sacramentalibus vero quae a diaconis et lectoribus valide administrari possunt statuit canon 1147, § 4: « Diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsi expresse a iure permittuntur ».

Quaenam vero sunt illae benedictiones quae ex iure diaconis et lectoribus permittuntur? In iure hodie vigente paucae omnino enumerantur.

Ad lectores pertinet « benedicere panem et omnes fructus novos ». ¹⁷⁶ Ad diaconos vero, praeter facultatem benedicendi sal cum solemniter baptizant et deficiat sal a sacerdote benedictum, nulla alia circa validam sacramentalium administrationem pertinere videtur. ¹⁷⁷

Quod tum potestas benedicendi fructus novos tum potestas benedicendi sal possit a Papa clericis inferioris gradus, imo etiam laicis committere patet ex iis quae in praecedenti nostro studio de potestate consecrandi et benedicendi exposuimus. ¹⁷⁸

Circa delegabilitatem ergo potestatis ordinibus infra presbyteratum adnexae, modo generali enunciari potest: Nulla dantur officia his ordinibus propria quae non possint ex delegatione Papae etiam a personis ordine correspondenti non insignitis valide exerceri.

CONCLUSIONES GENERALES

Juvabit nunc breviter recollere conclusiones quas de facultatibus Papae circa potestatem ordinis decursu huius articuli statuere potuimus:

1) Sententia quorundam antiquorum « de delegatione Papae et adminiculo habiti sacramenti » prorsus rejicienda est, utpote nullo argumento theologico fulcita.

2) Per hoc tamen non excluditur Papam posse vi plenitudinis potestatis quae ipsi soli in Ecclesia competit, ea quae sunt superiorum ordinum committere quibusdam clericis inferioris gradus, intra certos tamen limites a iure divino statutos.

¹⁷⁵ C. BERUTTI, *Institutiones Iuris Canonici*, II [not. 97], par. I, p. 337-338.

¹⁷⁶ *Pontificale Romanum*, tit. « De ordinatione lectoris ».

¹⁷⁷ Cfr. F. M. CAPPELLO, *De sacramentis*, II/3 [not. 107], n. 119.

¹⁷⁸ *De delegabilitate potestatis ordinis* in *Ephemerides Carmeliticae* 12 (1961) 249-289.

3) Omnes auctores concordant Summum Pontificem non posse alii quam Episcopo concedere ut ordinem Episcopatus conferat. Agitur enim, iuxta omnes, de potestate quae characteri episcopali iure divino exclusive adnectitur.

4) Quoad potestatem conferendi ordines sacramentales infra episcopatum, quae episcopis iure divino competit, sequentia retinenda sunt:

a) Certum est et ab omnibus admissum Papam non posse collationem ordinum presbyteratus et diaconatus illis committere qui characterem presbyterali non sunt insigniti.

b) Non videtur a priori repugnare Summum Pontificem posse presbyteros delegare ad diaconatum et presbyteratum conferendos.

c) Post inventam « minutam » bullae, qua Innocentius VIII facultatem conferendi diaconatum Abbatibus Cisterciensibus concessit, negari non posse videtur, Papam potestate gaudere collationem huius ordinis simplici sacerdoti delegandi.

d) Facta historica quae allegantur ad demonstrandum Summum Pontificem etiam facultatem conferendi presbyteratum simplici sacerdoti revera concessisse non sufficienter probantur. Argumentum ergo de facto ad posse relate ad delegabilitatem huius potestatis valde labili innititur fundamento.

e) Argumenta ex auctoritate et ex disciplina ecclesiastica sententiae neganti magis favent. Non videntur tamen talia quae omnem probabilitatem sententiae contrariae elidant.

f) Attenta ergo indole « vicariali » potestatis pontificiae, cum non videatur a priori repugnare quod facultas conferendi presbyteratum etiam simplici sacerdoti a Papa delegetur, solutio quaestionis dubia manere videtur, et saltem in statu theologiae hodierno controversia definitive dirimi non potest.

5) Ex praxi Ecclesiae et iure communi hodierno constat Papam posse administrationem Confirmationis presbyteris committere. Quod vero hanc potestatem diaconis vel clericis inferioribus committere non possit est sententia certa et communis.

6) Ad potestatem conferendi subdiaconatum et ordines minores necnon consecrandi et benedicendi quod attinet, nulla specialis difficultas. Nam, cum haec sit iuris mere ecclesiastici, a voluntate Papae penitus dependet. Unde potest illam sine ulla limitatione delegare. Inconveniens tamen omnino esset hanc potestatem laicis committere. Neque solet Ecclesia eam aliis quam presbyteris concedere. Imo saltem in iure hodierno, collatio subdiaconatus ne presbyteris quidem committitur.

7) Iuxta omnes Papa iurisdictionem et non ordinem exercet cum facultatem ordinandi et confirmandi presbyteris committit. Non recte tamen a quibusdam asseritur potestatem quae presbyteris per huiusmodi delegationem confertur esse iurisdictionis et non ordinis et propterea presbyteros ita delegatos ordinare et confirmare vi iurisdictionis. Nam omnes, paucis omnino dissidenti-

bus, tenent Episcopum haec sacramenta conferre vi potestatis ordinis neque iurisdictionem ad eorum validam administrationem requiri. Non videtur ergo quare actus qui pro Episcopo sunt actus ordinis, pro presbytero delegato sint actus iurisdictionis, vel, uti aliqui dicunt, mixti ex potestate ordinis et iurisdictionis.

Id quod Papa per delegationem presbyteris in casu confert pertinet, saltem reductive, ad potestatem ordinis. Quare, ad mentem canonistarum antiquorum habetur in his casibus vera et propria potestatis ordinis delegatio.

8) Potestas quae ordini presbyterali circa sacramenta Eucharistiae, Extremae Unctionis et Poenitentiae iure divino adnectitur ita inseparabiliter huic ordini adhaeret ut ne a Summo Pontifice quidem possit clericis inferioris gradus committi.

9) Cum diaconatus nullam iure divino secumferat potestatem quae validam sacramentorum administrationem afficiat, quaestio de delegabilitate proprie dicta huius potestatis non exsurgit. Potestas vero benedicendi, quae ex iure ecclesiastico diaconis competit, potest a Papa clericis inferioribus, imo etiam laicis conferri. Quoad potestatem vero subdiaconatui et ordinibus minoribus adnexam, idem dicendum est ac de illa diaconatui adnexa.

Fr. FINIANUS MONAHAN a R. C., O. C. D.